

107

80



R.34  

---

3/20

*[Faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page]*


SM-107  
W-80


2 tratados


Handwritten marks on the left margin, possibly a vertical list or index.

Handwritten mark on the right margin, possibly a checkmark or a small symbol.


Handwritten mark at the bottom right corner, possibly a signature or initials.

























1642








18032081




































ost susceptionē Sacramenti, præter illas quæ eo loco in Missali habentur. Nihilominus poterunt singuli (sux deuotioni satisficientes) eas recitare postquam in Sacristiam redierint.

Sacerdotes non tundant pectus suum, vbi non præcipitur in Rubrica. In ceremonijs faciendis, sint compositi & graues; non lambant digitos, cum ab Ecclesia absolutio instituta fuerit: dum sumunt sanguinem pretiosum, non sint immodesti, sed quod totum est in Calice, totum congruenti haustu hauriant; sitq; satis vnicuiq; ea facere, quæ sanctis regulis, & laudabili consuetudine instituit sancta mater Ecclesia: qua nemo in terrarum orbe sanctior extat, neq; in diuinis obsequijs studiosior.

Nemini concedantur Missæ peculiare quacumq; ex causa: sed omnes referantur in communem vtilitatem Conuentuum.

Non dimittantur Ecclesiæ nostræ pro celebrandis Missis in Ecclesijs aliorum, sub poena carceris celebrantibus adhibenda, & priuationis ab officio Prioratus illi qui Prior tunc fuerit. Nisi interdum ad inseruiendum deuotioni Secularium, aliquæ Missæ alijs Ecclesijs concedendæ forent, & in beneficiū communitatis Conuentus.

Nullus Frater sine scapulari & cucullo diuina audeat celebrare: & qui aliter fecerit, ab omnibus euitetur; quia temerarie habitum conuenientem suæ Religioni dimisit. Et qui ex illis Horas Canonicas dicere neglexerit, conuictus, aut confessus carceri mancipetur: nec possit cum eo dispensari, nisi per Reuerendissimum Patrem Generalem Ordinis. Negligentes item in Officio per tabulam designato, vnam in Capitulum, & Refectorio recipiant Disciplinam. Qui autem fuerit



I N N O M I N E

DOMINI NOSTRI IESU  
 CHRISTI ET AD HONOREM  
 beatissimæ virginis Mariæ de monte Carmeli. Amen.



† Benignissimo sanctissimæ Trinitatis instinctu, adminiculoq; nixi: & beatissimæ virginis Mariæ montis Carmeli, huius Religionis singularis Regine & Monarche, benignitati & præsidio fidentes, has Constitutiones, hæc instituta à Reuerendis Prouinciali, Prioribus, Magistris, Vicarijs, Patribus, & Fratibus Carmelitis huius Prouinciæ Castellæ, ex communi consensu Patrum Diffinitorum confidentium in Prouincialibus eorum Comitijs, habitis & celebratis, anno Domini 1567. Dominica secunda post Pascha, die scilicet tertia decima mensis Aprilis, in Conuentu Carmelitico inclytæ ac religiosissimæ ciuitatis Abulensis, in posterum executioni demandandas, retinendas, amplexandas, & suscipiendas confecit, ordinauitq; Reuerendissimus Pater Ioannes Baptista ex Rubeis Rauennas, vniuersi instituti Carmelitici Prior Generalis; in fauorem vetustissimæ reformationis, & obseruantie eorundem Fratrum Eremitarum montis Carmeli, atque ad normam sacrosancti Cõcilij Tridentini.

VALENTIÆ,

Ex typographia Ioannis Mey.

Anno 1567.

*B*

**SACRO SANCTI CONCILII DECRETVM**

25. Sessionis cap. 22. pro inducenda reformatione, pro exequenda, & eius defectibus supplendis; cuius capituli hæc sunt verba.

**Q**uia sancta Synodus desiderat ut omnia & singula supradicta quamprimū executioni demandentur; præcipit omnibus Episcopis in Monasterijs sibi subiectis, & omnibus alijs ipsis in superioribus decretis specialiter commissis, atq; omnibus Abbatibus, & Generalibus, & alijs superioribus Ordinum supradictorum, ut statim prædicta exequantur. Et si quid executioni demandatum non sit; Episcoporum negligentiam Concilia Prouincialia suppleant, & coërceant. Regularium uerò Capitula Prouincialia & Generalia: & in defectum Capitulorum Generalium, Concilia Prouincialia, per deputationem aliquorum eiusdem Ordinis provideant. Hortatur etiam sancta Synodus omnes Reges, Principes, &c.

Ex his monentur omnes Fratres reformatam uitam amplecti debere, & ad eam cogi per Capitula Prouincialia & Generalia.

Si Generalia Capitula defecerint, Concilia Prouincialia provide possunt.

Statuit eadem Concilia reformationem faciendam per deputationem aliquorum Fratrum eiusdem Ordinis, & non per alios.

Constat item uisitato Conuentus, seu uisitata & reformata Monasteria (reformationem exequentia) ab ullo nec uisitari, nec reformari posse; seu fuerit Episcopus, uel cuiusuis generis Prælatus, uel quispiam à Concilijs Prouincialibus designatus.

Episcopi reformare possunt Monasteria commendata, & eis subiecta; & non alia, nisi literis Apostolicis id fuerit demandatum; qui si in mandatis potestatem habuerint reformandi, modo in eis non explicato, tenentur id exequi per deputationem aliquorum Fratrum eiusdem Ordinis; ut statuit Tridentinum Concilium, & non alio modo.

**I**am exploratissimum extat Generalem Ordinis Carmelitici, ut decreto sacrosancti Concilij faciat satis, uisitasse suas Hispaniarum Prouincias, atq; reformasse; ut patet cōstitutionibus iam excussis ad normam Concilij, deiecta omni Claustralitate, omnesq; redigendo ad ueram eiusdem ordinis obseruantiam; quam semper Basilij magni Carmelite regula demandauit.

Idcirco deduci licet ex hoc Concilij decreto, à nemine uisitari posse domos Carmelitarum, nisi summus Pontifex aliter instituerit. Cuius litera Apostolica sacro Concilio aduersari minimè credendum; & eo casu earum series est exactè inspicienda.

# PRO CULTU

DIVINO.



EDIT MIHI DOMINVS  
linguam, & in ipsa laudabo Dominum.  
Et alibi: Sēper laus eius in ore meo. Si-  
milibus sentētijs fermē innumerabilibus  
instructa & oppleta manēt sacra Biblia.  
Quarum instinctu, impulsu, hortamen-  
tis salutaribus, & premijs inexcogitabili-

bus dulciter permouentur animi, vt lingua menti coniuncta,  
mens item linguæ Deo canant, psallant, iubilent, gestiant do-  
mesticis colloquijs, sancta consuetudine, iuculis amplexibus,  
donec absorbeantur, ac distrahantur à caducis cogitationi-  
bus; ac spiritibus Angelicis magno cum assensu, magnis dele-  
ctationibus iungantur, atq; extrema eorum ætas beator eua-  
dat.

Hortamur igitur in primis omnes Religiosos nostros prō-  
ptè, & ex animo; die, noctuq; horis opportunis & debitis cho-  
rum adire, vt inibi horas Canonicas persoluant, Missas can-  
tent, & omnia efficiant deuoto mentis affectu, oris moderata  
pronunciatione, in salutem & solamē proprium; atq; eorum,  
qui diuinis interesse delectantur, & intendunt.

In adeundo Chorū, primus sit Reuerēdus Prior, & Sup-  
prior; à quo nunquam eximuntur, nisi infirmitatis, aut neces-  
sitaris, aut vrgentis casus quidpiam emerferit. Eorum est

A ij officium

officium honoris, & oneris; quod omitti non licet causa legitima non accurrente, & præ cæteris omni vtantur diligentia in seruandis ceremonijs, moribus, ritibus, & silentio in ijs, quæ non pertinent ad diuinum officium.

Absit item dum aliquis canendo, aut legendo leuiter errauerit, alium vices illius accipere, nisi esset error magni ponderis. Nam cum aliquis inopportunè reprehenditur, ingeritur tumultus; & audientium præsentia, quod est occultum, & incognitum, ponitur in aperto.

Eximuntur à choro infirmi, & ij qui iam sunt correpti senio; lectores actu legentes, prædicatores in die prædicationis, & vnus vel duorum dierum ad plus præcedentiū: vt eorum studijs commodius vacare possint. Patres item iubilarij, seu iubilei gratijs & priuilegijs vtentur sine vlla molestia, vt Religiosissimus Generalis Soreth instituit, & concessit.

Quia sumus Fratres Eremitæ, perpetuoq; virginis Mariæ de monte Carmeli, in Dei ac illius honorem singulis Sabbatis maior Missa (nisi aliquod festum impedierit) cum organis solenniter cætetur: & vesperi Completorium cum Salue Regina Fratribus in medio chori binis, & binis stantibus cum cappis albis: & hoc vt omnes adducantur in reuerentiam Dei-paræ virginis.

Ab eo Cōpletorio nemo ex Fratribus (modò fuerint sani & incolumes) excipiatur quo cūq; gradu, dignitate, functione fulgeat, & cuiq; officio sit astrictus: onerātes super hoc cōscientiā illius qui cōcionaturus est, si quiuerit, vel nequiuerit adesse.

Qui

Qui temporibus diuinorum officiorum per Conuētum solus spatiatum iuerit, vel sine licentia Reueren. Prioris cum aliquo seculari (nisi fuerit vir insignis, Princeps, & bene meritus de nostro Ordine) talis exemptus suis libertatibus priuetur ad tres mēses. Non exemptus verò, coram tota communitate Conuentus, in Capitulo, vel Refectorio, vnam recipiat disciplinam cum psalmo: Ad Dominum cū tribularer clamaui.

Recitentur horę canonicę per totam Prouinciam diu noctuq; , habita ratione dispositionis Conuentuum, & temperiei aëris. Et hoc moderandum relinquimus Reueren. Prouinciali. Qui præcipiet Fratribus in paruis locis morantibus, vt horas canonicas in ecclesijs recitent, & persoluant.

Nemo item cuiuscumq; gradus, aut conditionis extiterit à choro discedat, sine licentia Reueren. præsentis chori, siue Prouincialis, vel Prior, Supprior, vel alius fuerit ad id officium designatus. Animaduertant Fratres, vt in choro sint deuoti, & psallendo debitam in medio versus paulam interponant.

In celebrandis Missis priuatis & solennibus, seruetur rubrica suo loco signata, & rubrica canonis, post canonem, atq; vbi est rubrica: Gloria in excelsis, Credo, Ite Missa est, &c.

Ab omnibus Secreta secretè legatur, pronunciando non inuolutè, nō obscure: sed apertè, & explicatè omnia illius verba. Si verò aliqua verba altè pronunciari debent, rubricę obediatur, & non proprię voluntati.

In principio Missę ante confessionem dicatur. In nomine Patris, & Filij, &c. & non pluries. Etiam videtur magis consentaneum, vt dicatur, Orate fratres; quàm, Orate pro me fratres: ita Clerici, & alij Mendicantes pronunciant.

In maiori Missa debet seruari, quod præcipitur de introitu Missæ, quòd dicatur ter: sed in Missis priuatis satis est bisillum recitare. In Missa item maiore, Ministri suum exequantur officiũ. Sed in minoribus & priuatis nolumus Nouitios, seu alios Missæ inservientes porrigere patenam, aut alia sacra Sacerdotibus; satis est, si Missale & ampullas tractauerint. Insuper mādamus, vt Nouitij, dum Missis adfuerint, & præstitis Sacerdoti obsequijs, manus retineant sub scapulari. Et ante Missam portabunt à Sacristia ad Altare; & completa Missa, in Sacristiam Missale ante Sacerdotē: cui præcipimus Missam designare & legere, antequam à Sacristia discedat.

Sacerdotes non omittant eleuationem Hostię ante Pater noster, ob deuotionem populi, & patriæ cōsuetudinem: neq; ob easdem causas dicto, Salue salus Mundi, non omittatur, Domine non sum dignus; tribus vicibus eadem verba repetēdo, & ter manu dextera tundendo pectus: quamuis vnum & alterum non contineatur in Rubrica nostra.

Cùm fracta fuerit Hostia, pars in manu dextera supponatur alteri, non per transuersum in modũ crucis; sed ferè in oblongum, vt sine alia mutatione sumi possit. Nā cùm tot fiunt permutationes, facile est, vt particulæ quę sunt in fractura, cadant, & separentur.

Prohibemus omnes Orationes quę dicuntur immediatè post

post susceptionē Sacramenti, præter illas quæ eo loco in Missali habentur. Nihilominus poterunt singuli (sux deuotioni satisfaciētes) eas recitare postquam in Sacristiam redierint.

Sacerdotes non tundant pectus suum, vbi non præcipitur in Rubrica. In ceremonijs faciūdis, sint compositi & graues; non lambant digitos, cūm ab Ecclesia absolutio instituta fuerit: dum sumunt sanguinem pretiosum, non sint immodesti, sed quod totum est in Calice totum congruenti haustu hauriāt; sitq; satis vnicuiq; ea facere, quæ sanctis regulis, & laudabili cōsuetudine instituit sancta mater Ecclesia: qua nemo in terrarū orbe sanctior extat, neq; in diuinis obsequijs studiosior.

Nemini cōcedantur Missæ peculiare quacumq; ex causa: sed omnes referantur in communē vtilitatem Conuentuum.

Non dimittantur Ecclesiæ nostræ pro celebrandis Missis in Ecclesijs aliorum, sub pœna carceris celebrantibus adhibēda, & priuationis ab officio Prioratus illi qui Prior tunc fuerit. Nisi interdum ad inseruiendum deuotioni Secularium, aliquæ Missæ alijs Ecclesijs concedendæ forent, & in beneficiū communitatis Conuentus.

Nullus Frater sine scapulari & cucullo diuina audeat celebrare: & qui aliter fecerit, ab omnibus euitetur; quia temerariè habitum conuenientem suæ Religioni dimisit. Et qui ex illis Horas Canonicas dicere neglexerit, conuictus, aut cōfessus carceri mancipetur: nec possit cum eo dispensari, nisi per Reuerendissimum Patrem Generalem Ordinis. Negligentes item in Officio per tabulam designato, vnam in Capitulum, Refectorio recipiant Disciplinam. Qui autem fuerit

fuerit occupatus, aliquem Fratrem inueniat, qui suppleat illius vices, vel à Reueren. Priore Conuentus tunc ab illo officio liberetur.

Dum Missæ maiores pro viuis celebrantur, fiat quotidie peculiaris mentio pro summo Pontifice, pro Prælatis, pro pace vniuersæ Ecclesiæ: item pro catholicis Rege, Regina, Principe, ac pro omni illorum serenissima familia: pro benefactoribus item, fratribus, sororibus nostri Ordinis tã viuis, quàm defunctis.

In ea salutatione beatæ Virginis, quæ incipit: *Salve regina*, non dicatur solùm, *ô dulcis Maria*: sed, *ô dulcis virgo Maria*. Quoniam sancta Ecclesia maximè lætatur quòd mater fuerit, & remanserit virgo in perpetuum.

Quia munus est versiculariorum versus dicere: ideo à versiculario dicetur: *Ora pro nobis*, quia versus est, & sacerdos respondeat: *Vt digni efficiamur, &c.* Et qui versus sunt pronunciandi à sacerdote, scriptũ reperietur in rubricis nostris.

Benedictionem super populum dicant sacerdotes voce quæ possit audiri ab astantibus, & idem sacerdos stans ad altare dicat: *In principio erat verbum, & flectat genua, aut se prosternat cùm dicit: Et verbum caro factum est.* Sicut etiam debet se prosternere Fratres in choro, dum dicitur: *Et homo factus est.*

Si ob temporis breuitatem, vel ob aliam iustam causam non expediret dicere: *In principio erat verbum*, dicatur: *In illo tempore, loquente Iesu, &c.* Et semper in fine dicatur vo-



ce audibili, Sit nomen Domini benedictum: cui respondeat Clericus, Ex hoc nunc & vsq; , &c. Id faciendum Rubrica mandat & præcipit.

Districtè præcipitur, vt omnes Sacerdotes nostri sint uniformes in Missis celebrandis, sub pœnis infligendis regulariter in Refectorio, seu Capitulo, pensata qualitate erroris, & pertinatia errantis.

Sacerdotes qui nesciunt legere, suspendantur à celebratione Missarum, postea instruantur ab aptioribus & Doctioribus: & pro huiusmodi charitate exercenda deputetur vnus, vel plures qui illis intendant, & cogantur ad discendum: alioqui redigantur ad obedientiam Fratrum laicorum.

De Missis nouis cantandis, & de promouendis ad sacros Ordines, sine vlla exceptione obediatur sacro Concilio. Etiã in omnibus alijs quæ illic mandantur de Missarum celebratione.

Sacerdotes crebrò confiteantur peccata sua ministro, in locis apertis. Et qui fuerint sanitate donati, non abstineant à conficiendo sacro, sex, aut octo dierū spatio. Si secùs fecerint, tanquam indeuoti habeantur, ac de mala cōscientia suspecti. Si verò diutiùs abstinuerint, censuris & pœnis corripiantur.

Tempore æstatis, bis in hebdomada mutetur corpus D. N. Iesu Christi, & tēpore hyemis semel in hebdomada. Reponantur plures particule in loco custodiæ pro Fratribus infirmis. Obtineatur item à Reuerendis. Ordinario tempore Paschatis oleum sanctum.

**B** Anim-

Animaduertant Religiosi nostri, ne mutent illud verbum Paracletus, in verbum Paracletus; etsi \* Græcum in e Latinū trāseratur. Nam sancta Ecclesia vniuersalis mater ex omnibus nationibus plurimas complectēs, eorum idiomate vtitur, sicut Kyrie eleison, Apocalypsis, Athanatos, & similibus etiā Hebraicis. Mirum est de inuersione huius nominis Paracletus, cū eo antiquitus sancta Ecclesia vsa fuerit. Et dicta inuersione post Lutheranismū inoleuit. Ampliūs, in sacello summi Pontificis antiquus vsus retinetur.

Hebdomadarius, dum recitantur horæ, capitulum, & orationes dicet in medio Chori ante lectorile: idem facient versicularij in dicendis versibus, etiamsi non fuerit festum duplex.

Dum cantatur Magnificat, & Euangelium, Fratres exeāt à sedilibus suis, nisi esset valetudinarius, aut nimis senex, cui opus esset vt innitendo sedilibus, sustentaretur.

Cū dicitur prima oratio, Fratres stent inclinati, vsq; ad, Qui viuis, & Qui tecū, exclusiue. Cū verò terminatur alio modo, maneant inclinati vsq; ad. Per dominum nostrum Iesum Christum, inclusiue.

Cū celebrantur ternaria iuxta ordinale nostrū, celebrētur etiam missæ, pro quibus huiusmodi ternaria recitantur, & peraguntur. Si non poterūt Fratres dicere omnes Missas pro eleemosynis receptis, faciant sicut constitutum fuit in Actis Capituli generalis vltimò Romæ celebrati: scilicet duas Missas solennes singulo mense cantent, vnā pro viuis, alterā pro defunctis; & iugiter commemorationem faciant ac orent

pro benefactoribus.

Quia in Calendario nouo conscriptæ fuerunt plurimæ festiuitates plurimorum sanctorum Ordinis nostri. Non intēdit diffinitorium amouere consuetum officium cōmemorationis beatæ Virginis qualibet hebdomada celebrandum, nisi aliūde impediatur. Quare dum occurrerit aliquod festum sancti Ordinis nostri, vel dimittetur, vel in aliud tempus trāferetur. Habebitur etiam ratio officiorum celebrandorum in Aduentu & in Quadragesima, vt officium de feria pœnitus non posthabeatur.

Declaratur prætereà, quod dicitur in eisdem actis de Octaua sancti Martini Papæ & Martyris, quam inter solenniores Octauas posuerunt patres nostri. Nam eiusmodi solennitas versatur circa officium paruulum beatæ Virginis, circa quindecim Psalmos, memorias, versiculos cum alleluia ad tertiam: vt non recitetur in Choro dictum officium, dicti Psalmi & memoriæ, sed officiū sit de sancto Martino Episcopo & Cōfessore: dies sancti Martini Papæ & martyris sit duplex, fiat de illo memoria per totam Octauā; diesq; octauæ sit duplex & solennis.

Si Breuiarium, Missale, & alij libri Ecclesiastici parua diligentia Impressoris vitiati fuerint, corrigantur, & emendentur, & eorum correctores instituantur, & ordinentur, qui sint apti ad illud munus obeundum.

Obseruetur alia quæ mandantur à sapiētissimo Generali Sacerdote in capite de officio diuino, in quo præ alijs præcipitur

neminem in Choro cantare motetos, v paturam, & alia optimo iudicio suo conscripta. Obseruentur item quæ præcipiuntur de diuino officio in Comitijis generalibus a me Vrbs. Poterunt tamen eo cantu vti in Conuentu Fratres nostri horis opportunis.

In fine benedictionū mensæ hora prandij & cœnæ, Prior, vel Præsidens dicat: Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo, & nos maneamus cum ipso in vitam æternam. Dicant Fratres: Amen.

Sacerdos ante principium Missæ aptet Missale, & Calicē: atq; ante egressum à Sacristia super dictū calicem ponat Hostiam; & omnibus accommodatis, atq; vino & aqua in Calice posita, incipiat Missam in loco debito, dicēdo: In nomine patris, &c. Confitemini, &c. Confiteor, &c.

In festis solennibus, cū induuntur Cantores cappis sericis, vel aureis; duo ex Cantoribus assistant hebdomadario ad vtramq; partem. Quidam incensum Altari exhibuerit, vnus ad dexteram, & alter ad sinistram retineāt suis manibus partes cappæ Hebdomadarij auxiliū præbendo: qui Sacerdos vadens ad Chorum, habeat manus iunctas; & eas eodem modo retineat cū dicit capitulum, & orationes ad Vesperas.

Postquam Cantores primum Psalmum canendo inceperint, antequam eant ad sedendum, tam ipsi, quàm Hebdomadarius expolientur cappis, & ponantur vel in Sacristia, vel ad partes Chori super lectorilibus accommodatis. Et versus finem Hymni, vel in principio Magnificat, reponantur cappe: neq;

neq; ampliùs illis indutis, poterunt sedere. Est enim incōsiderata mentis, ornamenta Ecclesiæ tam facilè sedendo dilacerare.

Eadem ratione statuimus dum cantatur Missa, ministros altaris eleuare casulam ministri, cùm sedere voluerit, & Acolytos eleuare dalmaticas ministrorum, ne super illas sedeant: & dum fit ceremonia dicendo: Domine nō sum dignus, brachium dextrum, quo tunditur pectus, ita extēdatur, vt videatur ab astantibus.

Magnificat incipietur cātando, & reliqua verba primi versus dicētur summissa voce, pulsantibus organis: Anima mea Dominum. Deinde Chorus cātare incipiet: Et exultauit: ita vt vltimus versus cantetur: Sicut erat. Et dum pulsantur Organa, Cantores (si fuerint induti sericis) recitabunt versum, & principium alterius. Qui si non fuerint induti duo ex Nouitijs ante lectorile, eisdem dicent, vt à Choro audiantur.

Idem fiat, cùm cantatur Salue Regina in Cōpletorio sabbati: & tunc extendantur omnes Fratres vsq; ad gradus portę maioris Ecclesiæ. Hebdomadarius autem post omnes vadat indutus cappa serica præcedentibus ceroferarijs, qui post reuertent ad principium processionis, & post Asperges Fratres dicant: Miserere mei Deus: & dicant tot versus, donec Acolytus ab aspersione populi, cum aqua benedicta, reuersus fuerit in locum suum.

Cū pulsantur Organa, Chorus nō ommittet canere versus ~~Gloria in excelsis~~ Credo: vt vnus cātetur, & pro alio pulsetur.

Thurificetur Altare in Missa, faciendo crucē cum thuribulo super calicem, & postea mediū Altaris tribus vicibus: deinde vertat se Sacerdos ad partem Euangelij thurificādo. Et reuertēdo thurificet ante Altare, vsq; ad illius cornu; & ab eo cornu thurificando super Altare, veniat ad medium, vbi inclinato capite, thurificet tribus ictibus thuribuli.

Thuriferarius dum incensat Chorum, non circumbeat thurificando, sed semper incipiat à parte superiore Chori.

*De Confessionibus, Prædicationibus, & Sacristia emolumentis.*

A confessionibus secularium tam virorum, quàm mulierū, nemo assignetur, nisi à Reuerēdis. Ordinario fuerit admissus, & ad idem astringimus Prædicatores: & qui secus fecerint, tanquam sacrosancti Concilij contēptores, acerrimè puniantur, priuatis in posterum prædicandi, & confitendi muneribus: & qui fuerint admissi ab Ordinario, non impediuntur ab vllō Prelato huius Prouincię, sub pœna priuationis ab officio, nisi aliquod scelus cōmiserit, ob quod iure priuādus esset.

Caueant omnes dum tractant diuinum Confessionis Sacramentū; ne nimia breuitate, aut prolixitate, scādalo afficiant eos qui ab eis audiuntur, vel alios qui in Ecclesia existunt. Aequum est enim recto vti iudicio, & aliorum rationē habere.

Abstineant (iuxta doctrinam sacrosancti Concilij) à casibus reseruatis Prælatorum iuri; & omnes qui ministrare volunt illud Sacramētum, prædicare, & celebrare: in visitationibus R. Prouincialis eos interroget de Missis, Prædicationibus,

bus, & de confessionibus audiendis. Monemus Sacerdotes literarum ignaros semper aliquid addiscere pertinens ad casus conscientiarum.

Nostrarum sanctimonialium, & beatarum, siue tertiariarum nostri sacri Ordinis ad confessiones audiendas deputentur fratres idonei, & ætate graues, & poterunt virtute priuilegiorum nostrorum à R. Prouinciali destinari Fratres, qui à R. Ordinarijs, vel eorum vices gerentibus non fuerunt admisi. Nam sicuti bonum est obedire sacris Concilij decretis: ita est grati animi sanctæ sedis Apostolicæ priuilegia existimare, tueri, & alijs ostendere illa quamplurimum veneratione digna. Fratres verò priuati loco & voce, non permittantur confessiones Fratrum, vel extraneorum audire, quauis causa & ratione, nisi antea voce & loco fuerint donati.

Fratres nostri saltem bis in hebdomada confiteantur, & celebraturi (si opus fuerit) idem facient toties, quoties ad Altare se receperint, aliquo peccato affecti.

Professi & Nouitij habeant vnum, vel duos Confessores à R. Priore deputatos: & confiteantur toties sicut Reuerendiss. Generalis Soreth in suis constitutionibus demandauit. Sacramentum etiam Eucharistiæ apti suscipiant ad normam dictarum constitutionum.

Nemo prædicare audeat, neq; accedere ad R. Ordinariū, nisi antea à R. Magistro Prouinciali, vel in visitationibus, vel in Capitulis Prouinciæ interrogatus, & admissus fuerit, vt sacrum docet Concilium. Et prædicando sequantur doctrinam catholi-

Catholicam, & interpretationes non contrarias sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

In Sacristia sanctum seruetur silentium. Res Ecclesiasticæ mundè & honestè custodiantur: & mappæ, seu (vt loquuntur) Corporalia, aptentur cum farina amydi, quoniam secum maximam deferunt mundiciam, & securiùs tegitur & detegitur Calix. Ampullæ sint vitreæ, in quibus cõseruatur vinum & aqua. Missalia lacerata accommodentur. Et inuigilent Sacristæ, qui Fratres sunt adeò indiscreti, vt temerè lacerent ea, quæ sacris vsibus sunt destinata.

Fratres qui non habent celebrare Missas, tunc non maneant in Sacristia: & qui accesserint non vocati, à Sacristis modestè eijciantur: & si non recesserint, eos R. Priori denuncient corrigendos. Dum autem fuerint vocati ad celebrandum, & recusauerint; prima vice coram toto Conuentu dicent culpam suam, & priuabuntur pietantia: & alijs vicibus idem faciētes, grauiùs punientur, si tamen priùs non fuerit obtenta licentia à R. Priore.

Confessarij non accedant ad audiendas confessiones, nisi vocati, seu de licētia R. Prioris: nec quispiam in Ecclesia extra confessionem loquatur cum mulieribus, nisi fuerint veræ matres, & aliæ mulieres stricta consanguinitate cõiunctæ. Quod fieri permittitur horis opportunis, & de licentia dicti Prioris: & secus facientes, non percutiatur gladio excommunicationis, sed pœnis contentis in capite de cõtumacibus, rebellibus, &c. constitutionum Reuerendiss. Sorecti. Cuius constitu-



tiones etiam de confessionibus & prædicationibus inuiolabiliter obseruari præcipitur. Et præsertim de casibus reseruatis R. Ordinarijs, vt sacrum docet Concilium.

In locis in quibus audiuntur pœnitentes (quos Confessionalia vocant) nullus Sacerdos maneat ad loquendũ cum quavis muliere seculari, nisi ex numero deputatorum fuerit.

Monemus huiusmodi Cōfessores sub pœnis grauissimis, ne spe lucri, aut pessima cupidate ducti inducantur ad audiendum pœnitentes, quinimò omnis symonię labes procul ab eis pellatur.

In eleemosynis recipiendis sint fideles, & modestè respondeant deuotis illas porrigentibus. Habeatur liber in quo scribantur dictæ eleemosynæ, & quotidie in mensa legantur modò ab vno, modò ab alio Clauario, & alterius discreti subscriptione firmentur: ne pauperes religiosi ex eleemosynis viuentes, suo victu, & necessitatibus fraudentur.

Quicumq; fuerit Sacrista, cōseruet cruces, coronas, calices, & alia vasa ac ornamenta tam aurea, quàm argentea. Et si contigerit Priorem, aut Prouincialem, aut Clauarios cū illis velle res diuinis obsequijs dicatas vendere, aut oppignorare; nullo modo obediat. Et si hac de caussa voluerint ipsum amouere, & (quod absit) amouerint; tunc illos statim esse priuatos officijs suis diffinimus, & firmiter decernimus. Et hoc etiam intelligimus de omnibus ornāmētis sericis, & cuiusuis generis Ecclesiæ addictis.

Post completorium, & post complementum Missarum,

C statim

statim Sacrista claudat ianuam Ecclesie, sub poena carceris per mensem, nisi temporibus confessionum, cum in Ecclesia fuerint poenitentes pro confitendis eorum peccatis. Vel nisi fuerit aliqua matrona nobilis, & insignis, quae aliquem patrem grauem, & vita integrum alloqueretur.

Dum celebrantur Missae, & portae Ecclesie Conuentui sunt proximae; Fratres euntes per Conuentum, caueant ne suis vocibus Ecclesiam perturbent: & diuinorum tempore nullus Frater ingrediatur Ecclesiam, nisi vocatus a Sacrista: & exeuntes Monasterium, & ad illud redeuntes, non exeant, neque redeant per Ecclesiam, sed per communem ianuam Conuentus.

Reuerendi Praedicatores (vt dictum est) eximuntur a Choro, iuxta laudabilem consuetudinem Prouinciae, non obstante limitatione duorum dierum superius facta, ob diuersas ingeniorum dispositiones, quas eadem mensura metiri non possumus. Quibus mandamus in virtute sanctae obedientiae, ne retineant, neque occultent eleemosynas suis praedicationibus acquisite, sed assignent Priori: qui debet esse discretus in dandis necessarijs, & pecuniam pro emendis libris ipsis Praedicatoribus, in vinea Domini laborantibus. Ea tamen conditione, vt in ipsis Praedicatoribus nullum resideat, imò non appareat proprietatis vitium. Certe cum in subditis est obedientia, in illis qui praesunt sit charitas, benignitas, & omnis flexa atque curua affectio, procul absit, & prorsus eliminetur.

Reuerendis Magistris, Praedicatoribus, & patribus primarijs

rijs Conuentuum exhibeatur honos & reuerētia. Turpe est quidem & insolens, quos tēpus eneruauit & afflixit, quos mores & virtus magnificat, non reuereri.

Prædicatores item decet esse discretos, non torpentes, non temporibus exēptionum suarum spatiando otio vacare, non habere alios ludibrio & despectui, dicente Apostolo. Honore inuicem præuenientes. Nam vitium extat sapiētes atq; prudentes apud semetipsos, inq; suis oculis. Est insuper stultitia seipso adeò magnificare, vt proximus ludibrio habeatur. In vnoquoq; enim Trinitatis imago relucet, eodem Religionis decore splēdent, & pro omnibus Christus mortuus est. Recordentur scriptum esse, vt vnusquisq; in alterum administret gratiam quam accepit.

Crebrò mandetur iuuenibus, vt in Refectorio, vel Capitulo (vniuerso Fratrum coetu audiente) prædicationes faciant, vt magis habiles reddātur, & animosiores: & cū errauerint, modestè à doctioribus & præstantioribus Declamatoribus moneantur, atq; simul instruantur.

*De studijs, & studentibus.*

Scriptū extat apud Titum: Nemo adolescentiam tuā increpet; & apud Iob: Aetas non dat intelligentiam, sed inspiratio omnipotentis Dei. Quare non placet, vt ingenium hominis ætate metiatur, sed ingenio, doctrina, & moribus. Ex hoc decernimus, iuuenes doctrina præstātes, bonis moribus ornatos, prædicandi munus moliri volentes, bona suę indolis gratia admitti, vt sanctum Iesu Christi inuulgent Euangeliū,

si iudicio R. Prouincialis, vel Capituli Prouinciæ habiles fuerint reperti.

In Conuentibus non deerunt Magistri cantus, atq; Grammatices pro imbuendis iuuenibus, vt ordinibus sacris debita ætate initiari possint. Et admonemus omnes Priores, vt designent omnes Choristas ad cantum Chori, & ex Religiosis suis, vt assuescant ceremonijs Ordinis, aliqui dent operam arti scribendi; aliqui inducantur ad artem ludēdi fidibus, seu (vt loquūtur) pulsandi instrumēta pro pulsandis organis, in obsequium diuinorum officiorum. Et illi quoad fieri poterit, nō priuentur commodis ad huiusmodi artes sectandas.

Nullus discolor, vel rixosus, vel vitiosus, vel qui aliquando ab Ordine verè apostatauerit, vel spurius, promoueatur ad studium sine expressa dispēlatione Prioris Generalis. Et qui contrarium fecerit, quacumq; fulgeat dignitate, statim sit priuatus illa, & inhabilis ab officijs Ordinis in posterum.

Si quis ex studētibus ausu temerario aliquo gradu in aliqua Vniuersitate insigniri velit (anteà à Reuerendiss. Generali venia non obtenta) statim reuocetur à studio, priuetur actibus legitimis studentibus dari solitis. Similiter omnes rixosos, infames, vitijs obstrictos, conspiratores ( etiam si in studijs valdè processerint ) reuocamus, & reuocatos esse declaramus. Certè eloquentia sine sapientia malè serpit; scientia sine charitate inflat; sine bonis moribus perturbat doct̄rina, dirimit pacē, lites suscitāt, iurgia parit, exurit domos, profundit animos, & summatim malum fouet ingenium.

Nemo

Nemo sit promotus ad Doctoratum, nisi antea fuerit lector, & postea Bachalaureus. Et tales gradus, præsertim Lecturatus, & Bachalaureatus, solus Reuerendiss. Magister Ordinis poterit impartiri. Sed animaduertant nunquam ad huiusmodi gradus euehendos, nisi conclusiones Theologicas publicè ac solenni literarum congressu, absoluerint.

Antiquitùs fuit decretum, Lectores Biblicos præcedere Lectores simplices. Quo gradu sic vnito non ornabuntur, qui Biblia sacra in vniuersum non percurrerint; vt saltem sciât ad litteram, quid in singulis capitibus contineatur.

Inter studentes, eorum aptior sit Magister studetium, qui vnam legat lectionem, & exerceat actus scholasticos fieri consuetos: & quotidie à prandio, præfente R. magistro regente, tueatur vel aliorum studentium conclusiones: & omniùm difficultatum vltima decisio ad R. magistrum regentem pertinebit.

Si elapso biennio studentes non profecerint, à loco studij reuocentur, cognita primùm rei veritate, ne iudicium sit præceps. Animaduertat R. Prouincialis, vt in qualibet visitatione studentium libros examinet, & quem inuenerit habere libros prohibitos, detrudat in carceres: & reliqua fiant, vt iuris dispositio, & regni consuetudo exoptulat,

Lectiones in Logica & in Artibus sumant initium à festo Natiuitatis beatissimæ virginis Mariæ, vsq; ad festum Epiphaniæ, ob eos qui ieiuniorum tempore daturi sunt operam prædicationibus. At post octauam Paschatis, alius habeatur cur-

sus vsq; ad festum sanctorum Petri & Pauli.

Studentes omnes huius Prouinciæ, qui in regno Castellæ suos studiorum cursus perfecerint in Vniuersitatibus huius regni, vel Salmanticæ Doctoratus lauream accipiāt. Sed quoniam in prænominatis non sufficit optimas artes, & Theologiam callere: sed opus est multam habere pecuniam. Ne pauperes Religiosi nostri, qui paupertatem profitentur, careant suorum laborum laudabili fine, si obtentis literis Reuerendiss. Magistri Generalis, apud alias Vniuersitates ab ipso expressas, Magisterij stemmate & corona fuerint illustrati, decernimus illos inter veros ac legitimos Doctores, seu Magistros Theologos haberi, atq; eos potiri gratijs & priuilegijs in statutis Reuerendiss. Sorethi expressis, atq; in Comitijs istis præfinitis.

*¶ Pro vita regulari seruanda.*

Exploratissimum extat sacrū beatissimæ virginis Mariæ Ordinem, antiquitùs optima regula fuisse instructum ex diuo Episcopo Basilio, in formam debitam nobis traditam, quam Patres nostri sub regulari obseruantia viuentes, susceperunt: & peculiariter vt vitam ducerent communem, nihil habentes proprium.

Proprietas (vt inquit sapiētiss. Generalis Soreth) repugnat essentiæ professionis nostræ: ideò in primis mandamus obseruari omnia in capite de proprietarijs contenta, in ijs quæ nõ aduersantur decretis sacrosancti Concilij. Obseruentur etiã acta contra proprietatem, Romæ in Comitijs generalibus præfi.

præfinita.

Ante dictum Concilium, in regula nostra hæc traduntur. Nullus Fratrum sibi aliquid proprium esse dicat, sed sint vobis omnia communia, & distribuatur unicuique per manum Prioris, vel per Fratrem ab eodem ad idem officium deputatum, prout cuique opus erit, inspectis ætatibus, & necessitatibus singulorum.

Sanctum verò docet Concilium idem affirmans, inquit: Nemini regularium, tam virorum, quàm mulierum, liceat habere proprium. Et paulò inferiùs dicit: Poterunt autem superiores permittere vsum rerum mobilium, vt in eorum suppellectili nihil sit superfluum, nihilq; quod est necessarium, denegetur.

Idcirco poterunt R. Prouincialis, vel Prior (inspectis ætatibus & necessitatibus) vsum rerum mobilium permittere, ne filij nostræ Religionis destituantur, & præfocentur miseria, & nimia defectio.

Monemus itaq; R. Priores bona cõmunitatis benè dispensare, vt non appareat personarum acceptatio, cùm ille huiusmodi cõmunitatis bonorum nullum habeat dominiũ, sed tantũ custos, & eorum dispensator, nõ ad nutum & suam voluntatẽ, sed vt mandant & præcipiunt institutiones nostræ.

Certũ est Fratres nostros adstrictos esse obediẽtię regulari. Certũ est etiã, ea quæ sunt illis necessaria, præsertim pro victu & vestitu eis denegari non debere. Idcirco vitiũ proprietatis conculcantes, & necessitatibus Religiosorũ suppleri cupiẽtes, ordina-

ordinamus constitui locum depositi, & vnum depositarium, vt in eo loco deponantur pecuniæ Predicatorum, & Confessoriorum, atq; in libro depositi scribantur huiusmodi elemosynæ: quibus provideatur necessitatibus predicantium, & audientium à confessionibus pro emēdis necessarijs, tam libris, quàm vestibus, & alijs similibus.

Sic mandatur fieri, quia de bonis communitatis Conuentus eorum necessitatibus supplendum esset. Hęc autem bona ab eis religioni acquisita, alijs vsibus applicari non debent: donec predicantium & confitentium necessitatibus, & pro emēdis libris, prævio assensu R. Prioris, vt omnis suspicio proprietatis dispellatur, prouisum fuerit.

Pēsandæ sunt qualitates Religiosorum, necessitates, status, & dignitates: etenim opus est interdum vti iustitia distributiva, interdum commutativa, nō omisis earum distributionibus. Et vltra ea quæ dicta sunt in regula nostra, diuus Augustinus suos alloquens Monachos, dicebat: Non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes.

Quia proprietas repugnat, & aduersatur essentiæ nostræ professionis (vt dictum est) quicūq; bona, ad eius vsum incertum concessa, sine licentia Prouincialis, vel Prioris extra Cōuentum apud seculares, vel Clericos, vel sanctimoniales deposuerit, statim erit gladio excommunicationis percussus.

Nemo os suum accommodet ad iurandum, atq; minùs ad peierandum: & si quis iurauerit iuramentis prohibitis, carceri mancipetur per mensem, & bis in hebdomada tenens corrigiam



rigiam ad collum, flexis genibus, manibus passis, sine caputio & scapulari, dum Fratres iuerint ad prandium, ante portã Refectorij maneat. Si verò peierauerit, pœna carceris duplicetur; & sit priuatus loco, voce, & gradu. Et si à periurio non cessauerit, pœna grauisima puniatur: & postea extra Prouinciam relegetur per annum.

Habentes à conspectu ea quę conceduntur à bullis sanctissimæ Cruciatæ (cui omnem exhibemus reuerentiam) si Fratres nostri eas acceperint, iuxta indultũ sanctissimi D. N. Pape, facultate eis concessa vtantur, sine aliorum scandalo, in locis priuatis. Quæ à nostris constitutionibus prohibentur, illis cautè est vtendum, ne perturbetur communitatis vita Religiosa. Certum est enim temporibus ieiuniorum minimè decere, quempiam in communi Refectorio, & in locis apertis laeticinia comedere, dicente Apostolo: Si esca scandalizaret fratrem meum, carnem nõ comederem in eternum. Vtantur ergo, quod eis auctoritate Apostolica conceditur; & eisdẽ abuti caueant.

Omnes comedant in Refectorio, & portiones sint æquales ad normam obseruantia. Et si contigerit aliquid emi vltra dictam portionem, scribatur seorsum ab expensis communitatis, ne detur aditus & occasio liberè exponendi plusquã deceat. Nam ex sumptibus inuolutè scriptis, est via facilis ad inuendendas fraudes in detrimentum nostrorum Conuentuum.

Reuerendi Priores nihil exponant, sed solus expeditor illud officiũ exerceat: imò dicti Priores nihil recipient de red-

D ditibus

ditibus Monasteriorum.

Statutum Reuerēdiss. Sorecti in Priores qui Monasteria debitis aggrauant, & obstringunt, inuiolabiliter seruetur.

Interdicuntur omnino ornamenta pileorum, & vestimentorum cum filis de serico, tam in manicis, quàm in collo, & alibi: sicut etiam decet & præcipit Reuerendiss. Generalis Soreth: cuius constitutiones in capite de vestimentis inspiciētes, & temporis habentes rationem, volumus tunicæ longitudinē distare à solo duobus digitis. Habitum, siue scapulare, & cappa alba breuiorem esse tunica alijs duobus digitis.

Cappæ albæ si anteriori parte tribus digitis confute nō fuerint, Frater cuius cappa erat, prima vice accipiet disciplinam cū Psalmo, Miserere mei Deus; comedet panem & aquam: qui si perseuerauerit, poena aggrauetur.

Fratres nostri, dum alloquuntur R. Prouincialē, vel Priorem, manus teneant sub scapulari, modestè respondeant, & si aliquam culpam ab alijs fuisse obiectam dixerit, vel ipse Prior aliquod suum crimen detexerit; si verum est, petat veniam; si falsum, verbis placabilibus suam innocentiam tueatur: & hoc intelligitur, dum erit extra capitulum culparum; quoniam in dicto capitulo nemo potest respondere, nisi antea venia petita, & obtenta.

Seruentur communionēs, silentium, ieiunia Ordinis: vt ab exaltatione sanctæ Crucis vsq; ad Pascha (exceptis tribus diebus in septimana) vt Eugenius Papa. iiii. in regula mitigata tradidit. In Quadragesima seruetur editum Ecclesiæ. Ferijs

quartis per totum annum abstineant à carnibus, nisi euidenti necessitate, vel infirmitate, aut notabili debilitate fuerint adacti; & tunc de licentia R. Prioris & Medici carnibus vesci licebit: & hæc præcipiuntur sub pœna grauioris culpæ per duos dies sustinendæ.

Reuerendus Prior Prouincialis teneatur comedere in Refectorio cum toto Conuentu ad minus quater in hebdomada. Idem facient actu legentes in Vniuersitatibus solennibus. Priores autem locales, similiter Magistri, & omnes alij regulariter comedent cum ipsa communitate. Item comedentes in secunda mensa nō vtantur alijs alimentis quàm in prima, sub pœna grauioris culpæ hoc permittenti, & facienti.

Fratres nostri prædicantes verbum Dei non comedant temporibus prohibitis carnes, aut lacticia, nisi necessitas à Medico approbada, ad id apulerit. Si verò contigerit aliquem nō posse exequi officium prædicationis, non comedendo carnes, desistat à munere prædicationis, & Prædicatorum prerogatiuis sit priuatus.

Si comedentes carnes ex legitima concessione, vescantur piscibus, aut alijs cibis contrarijs, tanquã gulosis iniungatur grauis pœnitentia.

### De Fratribus infirmis.

Hospitiū, siue locus infirmorum, in quolibet Conuentu cōseruetur, amplificetur, & omnes procurēt in eius amplificationē, in ijs quæ pertinet ad lectisternia & ad medelā, suffragia

D ij & ne-

& necessaria pro curandis infirmis. Nam in eiusmodi opere, maxima apparet & splendet charitas, dicēte Iesu Christo domino nostro, dum alloquetur benedictos patres: Infirmus eram, & visitastis me. Cuius contrarium damnandis in faciem reijciet, & inculcabit.

Deputētur ministri & custodes infirmorum, qui omni diligentia studeant eis inseruire. Et R. Prouincialis atq; Priores diligenter inquirant, quo pacto seruiatur infirmis, & si in eiusmodi charitatis officio aliquos inuenerint culpabiles, eos grauius puniant.

Iuxta statutum Reuerēdiss. Sorecti, Priores, eorumq; Vicarij visitabunt infirmos, illisq; providebunt de omnibus necessarijs, tam pro remedijs, quam pro cibis exhibendis, prout Medicus instituerit, sine vlla personarum acceptione.

Priores, seu Vicarij, & custodes Conuentuum, qui fuerint deprehensi negligentes esse circa infirmos, R. Prouincialis in suis visitationibus eos arguet & increpabit: & si non resipuerint, acriter puniet, & in sua pertinacia versantes, vni ex patribus timentibus Deum, dabitur auctoritas infirmis providendi; deinde in Comitijs prouinciæ declarabuntur inhabiles ad officia Ordinis per decē annos. Iniquus profectò est animus, & institutionibus diuinis contrarius, qui ab infirmis abhorret.

Infirmi omnes, Medici Phisici iudicio verè infirmi, à Choro, & ab alijs obsequijs Conuentus, itē à Refectorio, iure sunt exempti: de quibus dicimus, & mandamus prima, aut altera die

die debere confiteri peccata sua Sacerdoti, & tradere chyrographum manu sua, vel aliena conscriptum, omnium bonorum à Religione ei ad vsum incertum concessorum.

*Pro pace in Monasterijs seruanda.*

Quantis laudibus apud Sacra euehatur pax, facile potest videri: ad quam inter regulares nostros conseruandã, statuimus & ordinamus, quòd si aliquis obiecerit alicui crimen, illud probare teneatur: & deficientes in probatione, puniatur eadem pœna qua accusatus dignus fuisset, si vel conuictus, vel confessus extitisset: vt discant Fratres nostri non malignari, neq; tam facile detrahere.

Nemo rememoret, recenseat, neq; obijciat alicuius crimina præterita, de quibus fuit vel conuictus, vel confessus, vel violenter suspectus, etiam si regulariter correctus ex suis demeritis: quam correctionem, & pœnam inflictam in eius dedecus & ignominiam quauis occasione commemorabit, sub pœna carceris contrarium facientibus ad octo dies, & vnius disciplinæ cum Psalmo: Misere mei Deus, misere mei: quoniam in te confidit anima mea.

Vt pax augeatur, Reuerendi Prouincialis, & Priores meminerint se esse pastores, non leones, non tygres, non lupos rapaces, non tyrãnos. Nos igitur diuina charitate permoti, illos monemus, hortamur, illis præcipimus, ne verbis ignominiosis, procacibus, contumeliosis, Fratres suæ obediëntiæ creditos coërceant, eos non conculcent impetu, eis non dicant, sic volo, sic iubeo, sitq; pro ratione volũtas: sed humaniter eos tractet,

& cùm peccauerint, iustitia iustè vtatur, vt cognoscant solùm legibus corripì, castigari, & affligi non odio, non prauis affectionibus.

Monemus item Fratres recordari Deum capitibus eorum Reuerendos Prouincialem ac Priores superposuisse, ideò desistant esse vulpes, serpentes, & viperarũ genimina: sed ab obedientia quam professi sunt, non deciscant; humilitatem sectentur; patientiam subeant; salutaribus obsequijs inuigilent; obtèperent mandatis pastorum, & Prælatorum suorum.

Si Prælati tumore, & tyrannide oppleti, in brachio exten-  
to, & furore munus suum exerere voluerint, ab eorum officijs amoueantur: Fratres item rebelles, & inobediètes disciplinis, ieiunijs, vigilijs, & compedibus, ad normam cõstitutionũ nostrarum affligantur, & non ex arbitrio. Et qui præter, aut contra constitutiones pœnas iniunxerit, suo officio illico sit priuatus. Deinde ea pœna illi inferatur, qua indebitè alium cõtortit. In ordine Carmelitico non sunt domini & serui, nè tyranni & captiui, sed superiores & inferiores spirituum patres & filij. Omnes igitur viuant vt decet; & omnes infra limites gradus conditionis, & auctoritatis suæ, se contineant.

Fratres nostri de crimine semel admissò correcti, rursus corrigi non debent. Vilis enim, rustici, & iniqui est animi, velle aliquem exturbare & insectari, donec cõsumetur, & in desperationē labatur. Ea quippe diabolici est animi proprietas, Euangelio quàm maximè inimica: & tam grande malum à societate Religiosorum nostrorum est æuendum procul.

Correctiones itaq; fiant & adhibeantur, ne malorum iniquitas crassetur, serpat, & grandescat. Sintq; satis discipline, ieiunia, compedes, pœnæ leues, graues, grauiiores, & grauissimæ: necnon censura à maioribus, & patribus nostris iuxta exigentiam delictorum moderatæ & præfinitæ. Adsunt etiam torturæ pro enormibus delictis, sicut Pius ij. Põt. Max. nostro Ordini concessit, & tandem triremes. Hæc non excedantur, neq; iudicio præcipiti, sed maturo consilio (provt opus fuerit) executioni demandentur.

Omnes quærimoniæ, denunciations, instantiæ, criminationes, inuectiua, accusationes, in præsentibus Comitijs, & in præterito factæ, in posterum non audiantur, non tractentur, non producantur, non iudicentur: nam Deus nõ iudicat bis in idipsum. Omnes item scripturæ, omnes processus, omnes annotationes, omnes literæ criminosa, quæ vsq; in hanc horã conscriptæ fuerunt, & sunt in manibus ac potestate Fratrum huius Prouinciæ; eas cassamus, annullamus, irritas esse decernimus, nulliusq; roboris & momenti, tam in iudicio, quàm extra iudicium; tã in Monasterijs, quàm extra Monasteria; apud Tribunal quodcumq; siue seculare, siue Ecclesiasticum; apudq; Tribunalia, crimina, & quasuis causas criminosas deferri, denunciari, & tractari prohibemus per obedientiam, in virtute Spiritus sancti: idq; fieri prohibemus, & summam decernimus omnes causas & crimina quæuis præterita perpetuo silentio esse commissa.

Si aliqua scripturæ, vel processus de præteritis criminibus,  
prodie-

prodierint in cōspectum R. Prouincialis, & Priores ob tales nullum prosequētur iudicium. Si autem aliquis scripturas crimina Fratrum continentes nunc non reuelauerit, ac eas retinentes R. Generali Ordinis non assignauerit, cuiuscūq; narrationis existant, talis Religiosus illicō ratione contumacię sit excommunicatus. Si postea fuerit deprehensus eas retinuisse, & occultasse, sit priuatus loco, voce, gradu, dignitate, actibus legitimis nostri Ordinis, & inhabilis ad officia eiusdem perpetuo, carceri mancipetur ad tres mēses, deinde mittetur ad Reuerendiss. Generalem Ordinis. Easdem pœnas incurret, qui Fratrum culpas extra Monasterium cuiuscūq; reuelauerit.

Religiosi nostri sibi inuicem tribuant honorem, & si quis in alium cōuitia & ignominias parauerit, & edixerit: R. Prior Conuentus primò cogat ipsum reconciliari fratri suo; deinde tota communitate Conuentus inspiciente, vnam recipiat disciplinam cum Psalmo: Exaudiat te dominus in die tribulationis.

Caueant omnes ministri sub pœna graui, ne delinquentes corrigendo conuitijs parent in eorum progenitores.

Nulli dubium esse debet nostram Carmeliticam societatem, ordinem, & diuersitatem graduum continere. Ne igitur cuiquam fiat iniuria, declaramus post Priorem Conuentus locū habere Magistros laurea Doctoratus insignitos: & inter eos, qui ea dignitate prius fuerunt ornati, priorem habeant locum. Post eos sequuntur Præsentati, seu Licentiati; deinde Bachalaurei, & patres honoris; deinde Biblici lectores; postea lectores



ctores simplices: quibus succedit, & post eos tenet locum venerandus Supprior Conuentus.

Ad tollendam omnem discordiã, declaramus; si Patres honoris fuerint eo gradu donati ante Bachalaureum, vel Bachalaueros, Pater honoris illos præcedet. Si verò Bachalaureus Patrẽ honoris præcesserit, ipsius Bachalauerei prior sit locus. Si contigerit vnũ ex Præsentatis iunioribus, vel ex Bachalauereis Doctoratus infula ornari, decernimus ex statutis antiquis hoc honore illustratos præcedere antiquiores Licentiatos.

Inter Fratres simplices, locus præcedentiæ non sumitur à senectute, sed tãtũ ab hora professionis solennis. Antea igitur professi, professos posteriores præcedant. Et si quis fuerit professus priori tempore, & alius posteriũs, qui ratione ætatis priũs assumatur ad Præbyteratus ordinem, seu ad Sacerdotium. Cũ ille qui antea fuerat professus, ad eundem gradum Sacerdotij assumetur, superiorem locum adeat cũ illo, qui professione fuit posterior, & Sacerdotio Prior.

In Conuentibus nostris Fratres non retineant arma professionem regularem non decẽtia. Si quis verò ea habere fuerit deprehensus, omnibus bonis Religionis ad vsũ ei cõcessis, priuetur, & communitati Conuentus applicentur: deinde detrudatur ad carceres vsq; ad visitationẽ R. Prouincialis: & inde extra Prouinciam in exilium perpetuò mittatur, nisi Reuerendiss. Pater Ordinis cum eo dispensauerit.

Proferens minitoria verba in quẽuis alium Fratrem de læsione inferenda, carceri mancipetur per octo dies, in abstinen-

tia panis & aquæ.

Qui fuerit comminatus Priorem localem, carceri mancipetur per mensem, & ab eo Conuentu statim eijciatur, mittaturq; ad Prouincialem, qui de alio Conuentu ei provideat.

Qui diabolico spiritu attentatus aliquem percusserit, carceri mancipetur per duos menses, & læsionis qualitas consideretur: quæ si non fuerit enormis, solus R. Prouincialis poterit ipsum absoluerè, punitione præmissa.

*De Apostatis.*

Qui sine licentia recedunt à Cõuentibus, vel à Prouincia, non dicuntur, nec sunt propriè Apostatæ, sed profugi, discoli, errantes, & vagi. Ideò in statutis dicitur, tanquam Apostatas haberi debere, quia easdẽ pœnas luere tenentur. Sed habenda est ratio, an iusta causa à Prouincia, vel à Cõuentibus effugerint, vt in præsentibus statutis continetur.

Apostatas intelligimus, qui dimiserunt habitum, vel aufugerunt cum proposito illum dimittendi: quod prepositum non ex coniecturis, sed vel ex testibus, vel ex signis conuincẽtibus est cognoscendum.

Huiusmodi Apostatas non Prouincialis, nõ aliquis Prior, non Capitulum Prouinciale recipere poterit, nisi antea obtenta licentia à Reuerendissimo Priore Generali Ordinis. Prohibemus item, ne recipiatur Apostatæ cuiusuis instituti, eodẽ Generali inconsulto.

Apostatæ qui non fuerunt restituti in integrum, & temeritate du-

tate ducti, sibi ipsis vendicarunt libertatem celebrandi Missas, teneantur id reuelare Patri Religionis, vel eius Reuerēdis magistris socijs, ne laqueis diaboli irretiti, audeant perseuerare in ministrandis sacris contra censuras sanctæ Romanæ Ecclesiæ: quod si non fecerint, & postea fuerint conuicti, tanquam sanctæ Romanæ Ecclesiæ contemptores, ad triremes serenissimi Regis (vt in eis remigent sine vlllo præmio) alligētur per duos annos.

Apostatæ qui recipiuntur ad habitum, postquam correcti & absoluti fuerint, ac loco & voce redintegrati, habeant locū professionis, quem habebant, cū apostatarunt ab Ordine; neq; connumerentur anni, quibus extra Ordinem permanserunt.

*De regimine, administratione, & regulari honestate.*

Verissimum extat, & exploratissimum, artem artium esse regimē animarum; ex hoc maximo timore & tremore afficimur, quia vix nos ipsos dirigere nouimus: tamen ex iniuncto nobis officio facientes quod suppetit, diuino auxilio nixi, & Spiritus sancti afflatum implorantes, primò dicimus institutum Reuerendiss. Sorēti de electionibus faciundis, nempe de modo, his tēporibus non inferuire, quia decretis sacrosancti Cōcilij aduersantur, vt clarè liquet cap. 6. prioris partis, sessionis. 25.

Electiones itaq; tam Prouincialis, quàm Priorum, fiāt sub secreto ac forma: vt vnusquisq; sine proprio nomine in parua scheda offerat nomen eligendi, quæ aliena manu sit scripta,

vel scriptum adeò immutatum, quòd non possit cognosci cuius manu scriptum fuerit. Et chyrographum plicatum ponat in vase.

Postquam id fuerit expletum & terminatum, vnus legat, & ceteri audiant. Et si aliqua fuerit dubitatio ne committatur fraus, qui voluerint videre an verè legantur, non sint impediti.

In huiusmodi, & alijs quibuscùq; electionibus Fratres suę conscientię satisfaciant, & Deum habeant præ oculis. Et qui fuerit conuictus aliquem, vel minis, vel precibus, vel pollicitationibus, vel premio, aut muneribus, seu gratijs subornasse, statim carceri mancipetur per mensem; deinde tanquam infamis expellatur à Prouincia per tres annos: & sit priuatus loco & voce, donec per Capitulum generale, vel per Priorem Generalem cum eo fuerit dispensatum.

Declarantes statutum Capituli Generalis de eligendis in Prouincialem decernimus, & diffinitiuè præcipimus ad illud munus obeundum neminem eligi posse, nisi fuerit Magister Theologus, vel Præsentatus, seu Licēciatus, vel habilis ad docendum, & nisi quadragesimum annum attigerit.

Nemo infamis infamia notoria & probata, ad illud officium assumatur. Si verò aliquis Magister esset, seu Licentiat, sed ignarus, & ineptus ad docendum legendo, vel prædicando, ab hac Prouincialatus electione penitè excluditur.

Eligantur Priores non solùm ex Fratribus illius Conuentus, sed ex tota Prouincia, vbicunq; manserint.

Eligantur in Priores & Supprieores, Religiosi integri, amici iusti.

ci iustitiæ, obseruantes, bonum habentes zelum pro conseruã  
dis constitutionibus nostris, timentes Deum. Et non eligatur  
pastor præceps, ambulans in tenebris per inuium, neq; ambi-  
tu regnandi, & præsidendi sit affectus.

Ordinamus posse in diffinitores eligi non solùm ex patri-  
bus de gremio Capituli, sed ex alijs patribus morigeratis, &  
bonæ conditionis, qui tunc fuerint in Conuentu, in quo cele-  
brabuntur Comitia.

Nemo eligatur in Priorem, nisi excesserit trigesimũ quin-  
tum annum: qui Priores sequentur communitatem Conuẽ-  
tuum; neq; adeò sibi prouidebunt, vt Fratres suis necessitati-  
bus destituantur.

Aetas Priorum præfinita ad. 35. annum, non debet immu-  
tari, manente Conuentuum huius Prouinciæ paucitate, & ni-  
si alicuius mores, virtutes, & doctrina esset multum præstans.

Aetas priorum eligendorum sicut statutis decreta est: nisi  
ante eam ætatem fuerit quis optimè meritus.

Absoluto triennio cuiuscumq; Prioris, mādēt R. Prouin-  
cialis infra quindecim dies eligi Priorem, & de facto eligatur,  
neq; vltra dictum tempus regatur Conuentus à Vicario. Et  
quia nunc ex tota Prouincia possunt eligi Fratres in Priores,  
non erit opus nominare, seu assignare aliquos eligendos, sed  
electio libertati, & conscientia Fratrum relinquetur. Verũta-  
men R. Prouincialis inuigilabit ne confirmet electos, nisi fue-  
rint bonæ famæ, & apti ad regendum.

Senectute nimia confecti, & qui non valent exercere quæ

ad Prioratus officium pertinent, non eligantur, neq; ad eam functionem promoueantur.

Priores non possint ire ad alias ciuitates, seu oppida, sumptibus Cōuentus, non urgente necessitate. Priores extra tempus Capituli in alijs Conuentibus existentes, tenebunt locū professionis suæ, seu dignitatis. Tempore autē Capituli (iuxta consuetudinem huius Prouinciæ) post R. Prouincialem, locum superiorem obtinebunt.

Vt omnis amoueat scrupus & dubitatio, decernitur socium R. Prouincialis in Comitijs Prouinciæ eligendum esse, & nominandum ab ipso met Prouinciali iuxta suam consciētiam. Et si socius ab eo electus aliqua infirmitate, vel alia iusta causa non potuerit comitari R. Prouincialem, sui erit muneris alium eligere, modò non sit Prior alicuius Conuentus.

Reuerendi clauarij, procuratores, ministri, sacristæ, & omnes qui debent fungi officijs Conuentuum, secretè eligantur per totam communitatem habentium locum & vocem.

Dispensamus tamen ianitorem & dispensatorem posse eligi à R. Priore, patribus cluarijs, & à seniore parte Conuētus.

Reuerendi patres Cluarij postquam electi fuerint, solenniter iurabunt presente communitate Cōuentus, nemini adhærere, non complacere, non assentiri in ijs quæ cadunt in dānum & detrimentum Monasteriorum, at magis quod intendent & studebunt publicæ communitati: & quòd si secus fecerint, totum sit in perditionem animarum suarum.

Eligantur omnes supradicti, Cluarij scilicet, Sacrista, Procurator,

curator, expeditor, dispensator, & cæteri ministri per vota secreta cum ciceribus & fabis, vel cum alijs generibus calculorū quorum vna pars significet affirmationem, & altera negationem. Et vnusquisq; retinens suos calculos pro vtraq; parte, eligat quem sibi libuerit, recta conscientia.

Conficiantur duo vasa, intus panno aptata, quæ habeant scissuram in superiore parte, vt calculus commodè possit immiti. Expediens erit, si huiusmodi vasa profunda non erunt, & electione facta, publicè omnibus videntibus, vota numerentur: & si modus iste non assuetis videretur difficilis & subobscurus, in prædictis vasibus omnes ponant schedas suas scriptas modo superius dicto. Et qui plures habuerint voces, illi remaneant electi. At in electione clauariorū ponantur in vna scheda tot nomina, quot clauarij eligendi erunt.

In electionibus Priorum & lociorum gratia eundi ad Comitata Prouinciæ, vbi fuerit sufficiens numerus Sacerdotum, eligantur à solis Sacerdotibus. Et hoc præcipitur, vt euitentur corruptelæ plurimæ. In alijs autem electionibus professi sacris initiati vocem suam habebunt, vt fieri consuevit.

Qui non benè rexerit in suo Prioratu Conuentum sibi creditum, vel quia cultui diuino non vacauerit, vel quia bona communitatis nō benè dispensauerit; declaratur inhabilis ad officium Prioratum per decem annos.

Priores locales in vltimo anno suæ functionis, non possint oppignorare, neq; vèdere bona mobilia Conuētus, & præsertim quæ pertinent ad victū, & necessitates illius anno sequenti.

Bona stabilia nō oppignorentur, nō permutentur, & (quod absit)

absit) non alienentur: & quæ nunc concessa fuerunt ad vitã, vel ad vitas, nihil penitus innouetur, sed permittatur locatio- nis tempus iam institutũ finiri, & terminari. Quo absoluto, per totam communitatem Conuentus, de illis quid agendum sit, definiatur.

Sacristia, & procurãdi functio commendentur Sacerdo- tibus.

Supprieores, saltem experientia & vsu, sciãt rubricas intelli gere, & emendare errata Impressorum.

Qui subornationibus fuerit electus, vltra ea quæ dicta sunt & legitimis testibus fuerit conuictus, sit inhabilis perpetuò ad officia Ordinis, & statim carceri per duos menses mancipetur graui pœna affligendus.

• Qui subornationibus fuerit electus, & non poterit cõuin ci de subornatione, illius conscientiam oneramus, huiusmodi culpæ nobis absolutionem reseruantes, præterquàm in articu lo mortis; vt cunctis diebus vitæ suæ, vermibus conscientia eum mordeat, & corrodat.

Culpæ Priorum post electionem socij ituri ad Capitulum Prouinciæ, recipiantur in absentia illius, & postea vocetur, & fiant reliqua quæ in constitutionibus Reuerendiss. Generalis Sorecti continentur.

Præcipit & mandat sacrosanctum Concilium, non facile, nec pro causis leuibus (dũ reus est ad manus, vt castigari pos- sit) gladio excommunicationis vtendum esse. Tales igitur ex- communicationes leui causa institutas, reuocamus, & omnes reuoca-



reuocatas esse declaramus. Sed earum vice, & loco inducatur  
pœnæ temporariæ in afflictionem corporis, ne insolentes, au-  
daces, legû præuaricatores licenter impunè peccare præsumât.

In dandis licentijs Fratribus vt exeant à Conuentu, nō sit  
acceptio personarum; ne cum aliquibus seueritas, & cum alijs  
nimia facilitas appareat. Non exhibunt tamen à Conuentu vt  
eant per urbem, nisi iuxta laudabilem consuetudinem exeun-  
di ad plus bis in hebdomada, excipiētes casus necessitatis, nec  
non eos qui procurationibus, & alijs obsequijs Communita-  
tis quotidie habent inseruire.

Nemo ingrediatur domos, ob quorum ingressum secula-  
res murmurant, malè suspicantur, etiam si iustè id faciant. Et  
hoc ad euitandum scandalum, vt non detrahatur honori hu-  
ius Prouinciæ, ac totius Religionis.

Quicūq; procurauerit literas, denunciationes, à secularibus  
pro dehonestandis & vituperādis Fratribus nostris apud su-  
periores, vel apud gremium Prouinciæ & Monasteriorum,  
statim expellatur à Conuentu, illuc nō reuersurus ad decem  
annos, nisi Capitulum generale, vel Prior generalis cū eo dis-  
pēsauerit: & eo temporis spatio maneat priuatus loco, & vo-  
ce.

Vsus capucij linguarum introducatur, & Fratribus diffama-  
mantibus alios, apponatur publicè; & quotidie in medio Re-  
fectoriij, donec Fratres comederint, genuflexi maneāt, cancel-  
latis manibus. Et dum sederint in mēsa post finem prandij ex-  
osculētur pedes Fratrum. Et vltimus sit ille, quem diffamaue-

rit: cui petat veniam. Nec immerito hæc fiunt, quia tertia lingua commouit vsq; ad cœlos.

Sed nullus tali pœna plectatur, nisi fuerit confessus, vel cōuictus ordine iuris seruato. Nam cuilibet testi, nec testibus est adhibēda fides, sed veris, legitimis, si adfuerit canonicus numerus, præstito iuramento, stante simul accusatore & accusato, & de ijs quæ nouerunt, & viderunt veraciter: & accusatus locum defendendi accipiat ad abluenda crimina: dignum est, vt vita innocentis nulla maculetur pernicie accusatoris. Neq; suspecti, aut infames, aut criminosi, aut calumniatores, aut scelerati suscipiantur accusatores: sed tales qui omni careant suspicionem.

Quod in casu isto de diffamantibus statuitur, & obseruādu esse disponitur, in omnibus alijs, vbi de crimine agitur, sine vlla obseruetur exceptione: & superiores, siue iudices, hæc audiant verba. 30. q. 5. cap. nullum. Nullum ante veram iustamq; probationem iudicare, aut damnare debemus, teste Apostolo, qui ait, Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? suo domino stat, aut cadit. Mala itaq; audita nullum moueant, aut passim dicta absq; certa probatione, quisq; vnquā credat, sed ante audita diligenter inquirat: nec præcipitādo quicquam aliquid agat. Si hæc verba audierint R. Prouincialis & Priores huius Prouinciæ, addiscent neminem iudicandum esse, seu condemnādum ex eorum interrogationibus, scrutinijs, inquisitionibus, relationibus, literis, aut alijs similibus. Nam huiusmodi inquisitiones, si zelo iustitiæ & charitatis fiant, sunt salutares.

Illis enim excitantur superiores, vt inuigilent, vt rei veritatem inquirant, ut leges condant, & deordinata in debitum redigant ordinem, necnon ad euitanda pericula, ac scandala, vt suspectos ab vno loco, in alium transmittant, & oculos ab eis non amoueant.

Ob isthæc non dirimuntur, neq; amouentur iudicia, carceres, diligentiæ, probationes, quæ debent præcedere sententiam. Sed tantum admonitiones fiunt, ne aliquis inauditus, non conuictus temerè condemnetur; quoniam credendi facilitas testes falsos, & loquaces homines ad malum reddit animosiores, & innocentes sæpe oblanguent, excarnificantur, miserè contabescunt, & obteruntur.

Cùm ergo aliquis ex Fratribus nostris reuelauerit defectus Monasteriorum & Fratrum, vel crimina, vel correctiones criminum, vel infamiam, vel aliqua quæ vertantur in dedecus publicum, vel particulare; dictus Frater si fuerit confessus, vel legitimè conuictus, induetur habitum linguarum rubearum: & per mensem ferijs 2. 4. & 6. extrahetur à carceribus, & veniet in Refectorium, & permanebit genuflexus donec Fratres permaserint in prædico. Et mense elapso, vnã recipiet disciplinam in forma pauperum. Et priuabitur omnibus bonis Religionis ei ad usum concessis; vestimentis, ac rebus verè necessarijs exceptis. Et si in executione huius decreti R. Prouincialis, vel Priores fuerint acceptores personarum, vt vnum peccantem puniant, alium verò ad nutum reliquant impunitum, sine vlla mora suis officijs priuatos esse volumus decernimus, & ab eorum obedientia Fratres no-

stros penitus liberamus.

Expelletur dictus Frater pro secunda vice à Conuentu, ad quatuor annos: & in alium Conuentum Prouinciæ collocabitur, priuatus loco & voce. Cui, si iterum in illud vitium lapsus fuerit, pœna duplicabitur, & mittetur ad Reuerēdiss. Patrem Ordinis.

Ne silentio prætermittantur alia, statuimus & ordinamus, si in constitutionibus nostris non fuerit pœna taxata pro delictis commissis, assumantur duo aut tres patres, qui apud Cōmunitatem Conuentus sint bonæ famæ, bonæ conscientiæ, à malis affectionibus immunes, Deum timentes, qui cū R. Priore delictum, vel delicta commissa examinent, quorum consilio pœna iniungenda moderetur.

Priuati loco & voce, teneant infimum locum post Sacerdotes, non audiant confessiones, nec exerceāt actus legitimos.

Prælati non declarent constitutiones ad suum libitum & propositum, sed studeant illas obseruare, atq; obseruari ab omnibus iuxta sensum quem faciunt.

Multi sunt casus in statutis R. Magistri Generalis Ioannis Soreth de priuatione loci & vocis, qui declaratione egent, & sunt isti.

Si quis facto signo post Completorium, intrat camerā alterius.

Si quis subuculas de lino portauerit. /

Si quis speciali mandato sui Prioris non obediuerit, sed in contrarium iuerit.

Si quis

Si quis à correctione regulari appellauerit.

Pro omnibus istis declaradis, imò pro omnibus alijs in eodem cap. descriptis. Nolumus aliquē priuari posse voce & loco, nisi antea fuerit conuictus, aut confessus, vel ex notorio facti, vel ex legitimis testibus: quorū nomina debent publicari, si accusatus negaret.

Ad casus verò superiùs nominatos deueniētes, declaramus, Fratres ingredientiés post Completorium cameram alterius, esse priuatos loco & voce; si non contigerit Fratrem illum esse Prouincialem, vel Priorem, vel esse infirmitate grauatū; vel nisi ingrediens fuisset designatus ad aliquod obsequium illi Religioso præstādum. Quod de Completorio dicitur, intelligi potest de omnibus alijs horis diei.

De inobedientia aduersus mandatum Prioris, dicimus inobedientem priuandum esse loco & voce, si mandatum illius fuerit iustum & rationabile. Iustum & rationabile dicimus, si fuerit in tempore opportuno. Si fuerit factū sine indignatione. Si fuerit expressum in constitutionibus Ordinis, & nō ad nutum & arbitrium Prioris; si non fuerit contra charitatē atq; de re illicita, pertinēte vel ad personam cui præcipitur, vel ad naturam, seu conditionem rei; vel nisi eius mandatum fuerit in detrimentum Communitatis Monasterij. Idemq; iudicium de similibus.

Quod dicitur de correctione regularis appellatione, animaduertant eam correctionem iniungentes, esse regularem, quoniam si tantū nomine & nō re erit regularis, licebit ap-

pellare. Et corrigentem puniri. Regularis autem correctio videatur apud ius Pontificium.

Priuatio loci & vocis, iniuncta ob subuculas de lino, locum non habeat, donec Cōuentus huius Prouincię ex bonis Cōmunitatis emere potuerint pannum, seu sargiam ad conficiendas subuculas stamineas.

Quia priuantur se erigentes contra superiores, animaduertatur quid sit se erigere: quoniam ab eo eximuntur, qui petita licētia, & non obtenta (si tamen fuerit extra Capitulum) suā innocentiam tueri ac defendere vellet, omissis tamē verbis pro-cacibus, & respondendi immodestia.

Itē, si quis etiam ad maiorem suum, non petita licētia perrexerit. Petita igitur licentia, & non obtenta, atq; iuerit ad suū superiorem, non erit priuatus loco & voce: seruat tamen omnibus, quę in istis constitutionibus continentur.

Adhærentes sacrosancto Concilio, omnes excommunicationes impositas tam Fratribus, quàm sanctimonialibus nostris, reuocamus, & reuocatas esse declaramus: & præcipimus, non inferendas esse in posterum, nisi in casibus à sacrosancto Concilio designatis, sessione. 25. cap. 3. de reformatione.

Procuratori assignetur vnus socius, qui semper eū associet; & non sit illius munus accipere modò vnum, modò alium.

Idem procurator bis in singulis mensibus referat patribus Clauarijs, & toti Cōuētui clarè & apertè, quę ab ipso aguntur & tractantur omnibus in locis pro ipsa cōmunitate. Quod si facere neglexerit, post trinam monitione amoueat ab officio, & alius eligatur ab omnibus locū & vocem habentibus.

Contractus, & stipulationum formulę non fiant à Priore cū Cluarijs solis, etiam R. Prouinciali cōsentiente, sed adsint omnes habentes locum & vocem. Quibus vna die quid est faciendum proponetur, & alia die determinabitur, & singuli per calculos in vase positos, sua vota explicabunt. Et pro conficiendo negotio, ex quatuor partibus gremialiū, tres obtineantur.

Verba testamentorum & scripturarū ad communitatem Conuentuum spectantia, extrahantur ab originalibus in forma publica, & in arca communi conseruētur. Idem fiat de omnibus scripturis communibus: quarum debet haberi index ad perpetuam rei memoriam.

Prætereà cauendū est, ne recipiātur seculares ad manēdū in Cōuētū ultra tres dies, etiā si Fratrum cōsanguinei fuerint. Sed hoc nō extēditur ad Episcopos de religiōe nra bene meritos.

Temporibus electionum Fratres non mutantur de Conuētū ad Conuentū: imò nisi causa infirmitatis, vel scādali, Fratres positi per Capitulum in Cōuentibus Prouinciæ, nō mutantur. Si verò contigerit legitima causa transmitti in aliquē Conuentum, nequaquam poterunt eligere vel sociū, vel Priorem, extra Conuentum à quo recesserunt.

Libri reddituum & expēsarum conseruentur in arca triū clauium, & extrahentur, cū illis scribendi erunt redditus & expensæ Monasterij, etiam cū examinādi fuerint à Priore, Patribus Cluarijs ac magistris, patribusq; senioribus volentibus interesse.

Si aliquis Prior aduersatus fuerit patribus Cluarijs, vel eis fuerit

fuerit comminatus, quia partes Conuentus & rationes tuentur, primò moueatur à R. Prouinciali; quem si non audierit, priuetur officio Prioratus. Animaduertant tamen singuli, vt reuerentiam & modestiam præ se ferant erga R. Priorem.

Fratres nostri infames, seu de infamia notabiliter suspecti, & ex legitimis testibus ac fide dignis, statim remoueantur à Conuentibus in quibus degunt: & totum ea fiat modestia, vt apud seculares nihil inuulgetur, & publicetur.

Conspiratores & fœdere iuncti, puniantur sicut mandat Reuerendis. ac grauis. Generalis Soreth in capite de conspiratoribus, & colligationem facientibus. Quod caput, nullo verbo prætermisso, præcipimus inuiolabiliter obseruari. Sed tamen oportet accusatos, vel suspectos de conspiratione, fuisse antea conuictos, vel confessos.

Pecunias exactas nō asseruabit R. Prior, neq; procurator, sed reponantur in arca communi, inde extrahende, cum opus fuerit. Neq; scribet libros rationum, sub poena priuationis officij & dignitatis.

Multoties euenit Priores locales aliquem Fratrem odisse, aut inuidia, aut quia Conuentus zelo & utilitate, veritatē patefacit: ideò R. Prouincialis sit cautus, & non leuiter credat Priori conquerenti, sed audiat seniores, & discretiores Patres Conuentus. Inuigilet etiam ipse Prouincialis, ne sint factiones & sectæ in Conuentibus. Quas si inuenerit dissoluat: & si fuerint quinquaginta ex illis sectatoribus, minimè fidē adhibeat.



Triticū, oleum, segetes, & legumina Monasteriorum concludantur in horreo, seu loco deputato, cuius ianua tres habeat claues: vnam retineat Prior, reliquæ duæ per vices assignentur tribus Cluarijs, vt commutentur singulis mensibus, modò vni, modò alteri; vel ad plus spatio duorum mensium. Et habeatur liber in quo scribatur triticum, & oleum, tam in receptione, quàm in extractione.

Camisæ non appareant neq; in collo, neq; in manicis: Caligæ, diploides, & alia indumenta, non perferantur more secularium. Qui secus egerint, omnibus indumentis illicò priuentur: & Christi pauperibus (vt decretum fuit in Comitijs generalibus) erogentur. Et ipsi per quindecim dies in compedibus detineantur. Si verò Priores in his negligētes fuerint, R. Prouincialis præsentē cœtu omnium Fratrum illius Conuentus, infliget vnam disciplinam, cum Psalmo: Beatus vir qui nō abiit, &c.

Priores non introducant mulieres in Conuentibus, neq; introducere permittant, nisi fuerint illustres, aut Monasteriorum benefactrices, quæ honestum habeant comitatum.

Priores teneantur quolibet anno visitare possessiones Cōuentus, & domos: etiam cū necessarium fuerit id efficiāt, & nunquam consanguineis Fratrum possint locari domus, aut possessiones pro soluendo tributo, vel censu: & si quæ hætenus locatæ fuerunt, reuocentur sine strepitu. Et si id fieri non poterit, litibus apud tribunal congruens recuperentur.

*De R. Prouinciali, & eius officio.*

Reuerendus Prouincialis obediet, & obedire faciet patentibus R. Patris Generalis: quibus receptis, non audebit eas interpretari, non cauillationibus vti, non tergiuersari, non molestare vlllo prætextu illos quibus fuerint concessæ.

Si eiusmodi literas obreptitias, vel subreptitias esse cogita-uerit, significet rei veritatem R. Generali Ordinis: qui statim opportunū adhibebit remediū, ne vlla iustitiæ fiat iniuria.

Caueat omnino R. Magister Prouincialis, ne ex sua administratione vlla subrepat suspicio, eum habere sectas, & fovere conspirationes. Quia tunc animorū quies exturbatur, indignantur animi, & inferiores magno anguntur dolore, & obedientia valde imminuitur.

Fratres aliene Prouinciæ non recipientur à R. Prouinciali, absq; suorum Prouincialium licētia. Si verò aliqua pietate ductus aliquem retinuerit, Priori generali scribat, & responsum expectet. Neq; ipse permittet Fratres ire à Conuentu in Cōuentum, sine licentia in scriptis obtenta, vt sacrum iubet Concilium.

Non permittet Fratribus Laicis in capite deferre capillorū coronam, neq; vacare literis, sed operibus, obsequijs & Orationibus, iuxta statutum regulæ nostræ. Et si quis tanquam Laicus receptus, legere decenter sciret, non dispēsetur cum eo sine licentia Prioris Generalis.

Religiosi nostri peccantes notabiliter seculi offensione, puniātur acriter ad normā constitutionū notarū; & correctione fa-

ne facta doceatur R. Episcopus vt obediatur sacro Concilio.

Reuerendus Prouincialis absoluto suo triennio, non poterit rursus eligi, nisi sex annis transactis. Cui ob reuerentiam Prouincialatus præteriti, magna debetur reuerentia: quod cū omnibus qui Prouincias rexerunt, in toto Ordine nostro diligentissimè obseruatur.

Ibit R. Prouincialis pro tempore existens ad Comitua generalia Ordinis in signū obedientiæ, sicut præcipiunt nostræ constitutiones sub pœnis in eis contentis.

Reuerendus Prouincialis nemini reuelabit secreta suæ visitationis, præterquàm eius socio, qui antea sit iuramento astrictus, vt nihil patefaciat. Excipitur tamen casus quo aliquis puniendus esset, & negaret.

Omni vtetur diligentia, vt in singulis Cōuentibus sint magistri Grammaticæ, quò Fratres nostri Choristæ (sicut præcipit sacrum Concilium) initiari possint. Mandabit etiã, vt sint magistri cantus, qui quotidie doceant iuuenes, & instruantur virtutibus, quarum dignoscantur habiles, & idonei.

Si Fratres voluerint accedere, & se recipere ad Reuerendissimum patrem Ordinis, pro aliqua consolatione habēda, aut desiderio alicuius assequendæ gratiæ, & fortassis pro aliqua iniuria dispellenda, & eundi licentiam ab eo petierit: Nolumus eam denegari, sed benignè concedi. Et statim ea cōcessa, significabit Generali Ordinis qualitates illius Fratris, & causas recessus, ne Generalis ab illo Fratre decipiatur.

Si petens licentiam prima vice non impetrauerit, iterum

petat modeste, & tertio idem faciat. Et si tunc quod intendit, non assequetur, videant & cognoscant quatuor ex magistris & patribus causam dictæ petitionis. Quam si iustam esse cognouerint, dent ei licentiam in scriptis. Qua obtenta, declaramus Fratrem illum bona conscientia proficisci posse ad Magistrum generalem. Sed caueat ne huiusmodi prætextu, in alium locum proficiscatur, quia habebitur tanquam Apostata in pœnis luendis.

Inuigilabit deinde, ne Fratres loquaces, garruli, bonis qualitatibus minimè affecti, non se recipiant ad Catholicum Regem, sine sua expressa licentia, & sciat quod negotium sint cū illo tractaturi: quos dū inuenerit mendaces, pœnis inobedientibus debitis, atq; detractoribus, afficiet.

Constitutiones istæ teneantur in loco communi, vt a Fratribus, & non à secularibus legi possint. Erit expediens illas typis demandare, vt prælo excudantur. Necesse item erit sæpissimè legi & replicari, vt Fratres sciant quid ab eis debeat obseruari. Sanctum etiam opus esset, si pro tota Prouincia Reuerendissimi Soræcti generalis, & acta Comitiorum generalium Romanorum, necnon Nicolai Audecti, excuderentur; & eo casu præcipimus omnibus Prioribus, Magistris, Licenciatis, Bachalaureis, Patribus honoris, iubileis, Vicarijs, patribus senioribus, vt vnum librum ex eis recipiāt, & soluant. Et quia Religiosi Carmelitæ cuiusq; Prouinciæ iuxta regulam nostram, nihil habent proprium, eo casu dispensamus cum illis huius Prouinciæ, vt possint petere pro illis solvendis pecuniā ab ami-

ab amicis, vel consanguineis, vel beneuolis. Et hoc fit ne communitas Conuentuum agrauetur. Quilibet tamen Conuentus quatuor ex illis de pecunijs cōmunitatis persoluet. Et certè non decet aliquem ad regimen promoueri, qui leges Ordinis ignorauerit.

Præ cæteris, præcipuum R. Prouincialis studium extet, vt ad vnguem sacrum seruetur Conciliū, tam à Fratribus, quam à sanctimonialibus nostris.

Facientes libellos famosos conuicti, vel confessi, ad carceres detrudantur per sex menses, & velut infames habebuntur. Easdem pœnas subibunt consentientes, & astutè libellos illos publicantes.

Præcipiet etiam R. Prouincialis constitui domum custodia, seu disciplina, in qua debent concludi, de quibus est violēta suspicio. Dum etiam faciēda est aliqua inquisitio, item pro leuibus culpis; & dum querimonijs non sunt testes adhibiti, sed tantum coniecturæ. Et hoc est remedium quo Fratres custodiuntur, & erudiuntur. Et ob eam causam non priuantur loco & voce.

Sed cū in carceribus concluduntur, statim loco & voce priuatos esse nō est dubium. Quapropter nemo detrudetur in carceres, nisi pro manifesto delicto, sicut est contumacia, perfidia, lapsus carnis, furtum, scandalum, reiteratio criminis, atroces casus, & diuturnitas carceris præfinita in diuersis constitutionum nostrarum statutis non alteretur, nisi misericordia permoueret ad tempus abbreviandum.

Priuati voce actiua & passiuua, sunt priuati officijs, scilicet Prælationis, diffinitionis, uisitationis, electionis, confessionis, prædicationis, consultationis, lectionis, cum ob graues culpas (superius dictas) in ipsis carceribus fuerint conclusi. Ideo monentur Prælati & superiores, ne facile destinent Fratres ad carceres, sed pro eruditione & correctione mittantur ad locum disciplinae, seu custodiae.

Qui arbitraretur iniustitiam inferri, & confugeret ad procuratores, ad literatos, seu aduocatos, ad iudices item tam seculares, quam Ecclesiasticos: & antea non recurrerit ad Prouincialē, vel Generalem, sit priuatus ipso facto actibus legitimis Ordinis; nec restitui possit in integrum, nisi per Priorem generalem.

Incorrigibiles reducantur poenitentia afflictiua in seruitutem regularem: qui sæpius correcti non se emendauerint à perpetrandis grauibus delictis, ad carceres perpetuò condemnentur: sed tutius erit, si iuxta indultum Pontificis Clementis septimi, habitu Religionis nostræ priuabuntur, & cogantur ingredi arctiorem Religionem, assensu Magistri Generalis.

R. Pater Ioannes Sorecti in suis constitutionibus, monet singulos Prouinciales & patres petere eleemosynas & suffragia pro Comitibus generalibus: & nos pariter cum illo R. Prouincialem & reliquos ad idem opus faciendum monemus, & hortamur.

Nō deerit R. Prouincialis, ut iuxta vires suas operetur, quò studia vigeant, floreat, & apti ad ea promoueantur, ac promoti seruentur in utilitatem sanctæ matris Ecclesiæ.

Prouidebit etiam libros sumptuum, qui fiunt pro structuris & reparatione Ecclesiarum, separatos ab alijs libris rationum haberi.

Procurabit R. Prouincialis singulis annis, vt assignentur taxæ, vel collectæ Prouincię Priori Generali, vel exactori sub festo Pentecostes in alma Vrbe, sine vlllo sumptu, sicut decreuit antiquitùs nostra Religio, & postremò Capitulum generale Romæ celebratum.

Prouincialis non immutet taxas, seu collectas Prouinciæ, sed consuetas tantùm recipiat: non aggrauet Conuentus visitando, sed omnibus rectè dispositis, abscedat.

Non patiatur idem Prouincialis aliquem retinere mulam, aut equos, seu alia iumenta nomine proprio: sed tantùm nomine communitatis Conuentuum: & verè Conuentus existant.

Curabit omninò, ne vllus comedat extra Refectoriũ, vel charitatis hospitium, nisi infirmitatis causa. Et cõpellat Priores recipere Fratres ab eo missos, ne in eis succrescat mos & cõsuetudo inobedienciæ. Puniat etiam Fratres nimis audacter loquentes aduersus Priores locales.

Sciat R. Prouincialis omnes patētes perpetuitatis Prioratum in Comitijs generalibus Romę celebratis, reuocatas esse, pro vt nunc reuocamus, cassamus, & annullamus, dicēte sacro Concilio, non esse functiones assignandas in administrationem & commendam, sed tantùm sint constituti, vt sint ad nutum superiorum amouibiles.

¶ De Nouitijs, Nouitiatu, & professis.

¶ Sint Nouitiatus in Conuentu Toleti, Abulæ, & sancti Pauli, qui sint huius nostræ Prouinciæ Castellæ seminaria virtutum, & morum, cum suis magistris: à quibus instituatur nouitij, prout habiles reperti fuerint.

Semper nouitijs adsit magister morum, & ceremoniarum Ordinis: & eos comitetur cum simul à nouitiatu exierint, & in Processionibus immediatè eos sequatur, vt honestè incedant.

Transeuntes ante Sacerdotes, inclinent capita: nunquam in Choro, in Capitulo, & extra Nouitiatum eleuent oculos; retineant manus sub scapulari; non versentur cum professis; neq; intra annum Professionis Conuentu exeant, nisi ad publicas processiones.

Si quis ex professis assignandus erit cuiquam ex Patribus senioribus, siue Magistris, siue simplicibus: id fieri permittitur postquam expleuerit annum decimum octauum. Nam Patribus grauibus succurrendum venit, ne in suis necessitatibus honestis obsequijs destituantur. Illis inservientibus, non desint inseruire Communitati, & omnes maneant sub obediētia R. Prioris.

Nouitij, tam in Nouitiatu, quàm extra Nouitiatum consistentes, si futuri sunt Choristæ, à Coquina prorsus excipiantur.

Ordinamus quòd in Cōuētibus vbi sunt ad minus quinque Nouitij, illi cantent singulis diebus Missam ad honorem beatissimæ



tissimæ virginis matris nostræ, videlicet: Salve sancta parens.  
&c.

Caueant Priores, ne recipiāt aliquem ad habitum nostrū, si eorū parentes, vel ipsi fuerint infames: non recipiantur spurij, non qui vilia tractarint in seculo: Neq; recipietur aliquis, cuius parentes, vel maiores non fuerint antiquitūs Christi fide donati.

Prohibemus omnino, ne in nostrū sacrum Ordinem recipiantur curiæ secularis cōtumaces: imò nec illi, qui ob sua demerita ab eadem curia capti fuerunt, & postea condemnati.

Obseruetur sacrosancti Concilij decretum, quo cauetur pueros non recipiendos esse ante finem & complementū anni duodecimi: Neq; aliquid ab eorum parentibus, aut Curatoribus recipiatur, nisi pro victu & vestitu, cum lectis, lintheaminibus, & similibus commodis.

Sine licentia R. magistri Prouincialis non acceptentur aliqui: & postquam concesserit, neq; recipiātur nisi per calculos, quibus explicabitur consensus Conuentus, vt duas partes cōcessisse dignoscatur. Minimè tamen derogando auctoritati magistri Generalis in huiusmodi electione, neq; in alijs ad eius functionem pertinentibus.

Neq; aliquis admittetur ad professionē, nisi votorum Cōuentus, per calculos secretò duas partes obtinuerit.

Poterit Prior proponere sine licentia R. Prouincialis vniuersis Patribus Conuentus aliquem recipiendum ad habitū nostrum. Tunc à Patribus Clauarijs, magistris, à patribus itē

H honoris

honoris & senioribus duo scrutatores eligentur, qui petant recipiendi qualitates, & ortum. Si eum idoneum repererint, ad calculorum examen proponatur: si duas habuerit partes, tunc significetur R. Prouinciali, si Patrum votis velit annuere: & eo assentiente, recipiatur: sed Priores non recipient lucrum peculiare, ne symoniam incurrant.

A nouitiis excludantur omnes professi: & tradantur sub custodia R. Subprioris, & in Professatu simul permaneant: nec inde exeant, nisi ut Ecclesie & Conuentui inseruiant. At professi qui adhuc non emisissent lanuginem, seu barbam, poterunt in Nouitiatu remanere.

Si tempore Professionis, que fit elapso decimo sexto anno, (ut precipit sacrum Concilium) nesciuerit legere, scribere, & canere cantu Chori, non admittatur ut clericus; si tamen non fuerit spes ut addiscat: Debent omnes scire loqui Latine, qui admittendi sunt ad sacros Ordines, sicut sacra Concilij precipiunt decreta.

In induendis nouitiis seruentur ea, que sanctis. Generalis Soreth mandauit in capite de indutione nouitiorum: & ceremonie fiant in Ecclesia cum cappis albis.

Nouitij singulis diebus Veneris confiteantur Sacerdoti a R. Priore designato. Et qui recepti fuerint post annum decimum octauum, ponantur in professatu.

Magistri Nouitiorum sint graues, optimae fame, conuenientis aetatis, & qualitatis honestae.

Nouitij vnius Conuentus, non promittantur in alium.

Non recipiantur duo germani, seu fratres: & recepti, non

maneant in eodem Conuentu, vbi Religiosorum numerus paruus erit, & ad minus, si nō fuerint duodecim: quoniam vbi maior est numerus, illic collocari poterunt.

Quater in anno vota Religionis proponātur nouitijs interceptu trium mensium; & illa declarentur, vt sciant qua obligatione vinculandi erunt in emittenda professione, ne illis cōtingat, vt postea eos pœniteat ingressus Religionis.

Exceptis R. Prouinciali, Priore Conuentus, magistro morum, nemo audeat ingredi nouitiatum, sub pœna grauis. per decem dies.

### *De Sanctimonialibus.*

Studebit R. Prouincialis Sanctimoniales nostras ad amulsim obseruare cōstitutiones, quas tradidimus in nostra visitatione solenni. Et quas repugnare sciuerit, eas corripiat ad normam constitutionum nostrarum, quibus rebelles puniendos esse præcipitur.

Studeat primò earum clausuræ, vt inuiolabiliter seruetur, nihil innouando. Id tamen optamus, si earum cancellatæ, seu crates lignæ ex ferro confici possent.

Certum est, quòd sanctimoniales sine vllò medio subijciuntur Generali Ordinis; tamen ob locorum nimiam distātiā, earum regimen permittitur R. Prouincialibus. Idcirco eas tāquam filias nostras huic R. Prouinciali (& pro tempore existenti) ex animo commendamus.

Non liceat extrahere illas ex Monasterio, nisi cūm aliquid necessitatis emereret, iuxta decreta sacrosancti Concilij, quæ præcipimus obseruari in omnibus alijs pertinētibus ad dictas sanctimoniales.

Qui publicè detraxerit honori sanctimonialium nostrarum, carceri mancipetur statim ad tres menses.

Non licebit Fratribus nostris adire Ecclesias, neq; locutoria (vt dicunt) nostrarum sanctimonialium: & qui semel fuerit comprehensus ad ipsa Monasteria iuisse, carceri mancipetur ad octo dies; deinde expellatur à Conuentu in quo manebat, & æquè ac exul non reuertatur per tres annos.

Excipiuntur Confessor, earū Vicarius, & qui missi fuerint ad Missas celebrandas, & ad alia officia diuina, necnon in earū piam vtilitatem. Sed tamen fiat de licentia R. Prioris, vel Prouincialis.

Cùm aliqua sanctimonialis ab alio Conuentu in aliū transféranda erit, eam comitentur illius consanguineæ & cōsanguinei: in quorū comitatu sit vnus ex nostris Religiosis, integræ honestatis, & boni nominis.

In recipiendis puellis, caueatur ne sint parentum malæ famæ, neq; ex Iudæorum, vel Maurorum sanguine, neq; illegitimæ, sed ex progenie laudabili.

Non audeat R. Prouincialis quicquam imminuere, nec quidpiam detrahere à constitutionibus quas fecimus in visitandis sanctimonialibus huius regni Castellæ, neq; in aliquo contraire, sub pœna priuationis ab eius officio.

Gratiæ à nobis concessæ non reuocentur, non impedian- tur, neq; indirectè quærat opportunity, aliquam illarum perturbandi.

Mandamus omnibus Sacerdotibus, qui sanctimonialium spiritale

spiritalē regimē exercuerint, qualibet hebdomada mutēt Sacramentum Eucharistiæ sub pœna carceris.

R. Prouincialis visitando, secum habeat sociū suum, & R. Priorē Conuentus illius ciuitatis, seu oppidi, in quo erit Monasterium sanctimonialiū: non comedat in Monasterio, non in Ecclesia, non in Sacristia; sed citò se expediēs, reuertatur ad nostrum Monasterium.

Caueat ne visitando fiant impensæ, sed sumptibus Conuentus Fratrum uiuat.

*Pro Confratribus, & Consonoribus nostris.*

Pro confratribus & consonoribus uiuentibus, quotidie fiet memoria in prima hora canonica, & in oblatione sacrificij sanctissimi.

Item mandamus quando fit tertium ternarium, inter festū sancti Michaëlis, & omnium sanctorum, dicatur ternariū pro illis qui literas confraternitatis habuerunt, & Missæ recitētur.

Non obliuiscantur Priores, Subpriors, & Fratres Sacerdotes iuxta antiquū ritum nostri Ordinis significare R. Prouinciali mortem cuiuscumq; Fratris Prouinciæ, & ille mandet singulis Prioribus celebrare Missas, & alia officia pro ipsis defunctis Fratribus. Et qui nō sunt Sacerdotes, dicant nocturnos: & conuersi recitent Orationes cum Pater noster, & Aue Maria, sicut in regula nostra præcipitur.

Dum aliquis ex nostris Fratribus est spiraturus animum, pulsetur campana pro Oratione: & tūc omnes Fratres genuflexi dicant ter Orationem dominicam, & Aue Maria, rogātes Deum, & beatissimam semper virginem, vt tanti certami-

nis victoriam animæ recedenti ab hac vita facile obtineat.

Singulo mense ultra Missas cantandas (sicut statutum fuit in Comitibus generalibus) in singulis Conuentibus huius Prouinciæ, vna Missa cantabitur pro omnibus Confratribus, & consororibus defunctis.

*✠ INSTITUTIONES PECULIARES pro ista Prouincia Castellæ.*

**O**rdinauerunt R. diffinitores, quòd quotidie scribantur redditus incerti.

Quòd Fratres non alloquantur mulieres in Ecclesijs, nisi pro illis audiendis à confessionibus.

Quòd Fratres violenter suspecti de inhonestis conuersationibus, statim mittantur ad alium Conuentum.

Ludentes ad cartas, seu taxillos quouis modo, in carceres detrudantur ad quindecim dies, & sint priuati loco & voce per annum.

Prouincialis non habeat quid pluris à Conuentu post visitationem, quàm Priores locales habuerint.

Non eant Fratres ad Curiam suæ Maiestatis, sine licentia R. Prouincialis.

Conuentus Salmanticæ nihil det studentibus Prouinciæ: sed proprii Conuentus prouideant ad summam quinq; ducatorum singulis annis.

Si penuria cellarum adfuerit, omnes studentes quales quales sint, bini & bini in singulis permaneant.

Studentes euntes ad scholas, non eant aliò ab alijs separati, sub pœna priuationis exeundi à Monasterio ad mentem.

Studentes literis vacantes, bonis moribus imbuantur: aliàs priuentur statim à studio.

Priores audiant Fratres patienter, eis non insultent, nō minentur, eos non inhonorent,

Non percutiantur nouitij atq; professi ab vlllo, neq; à Priore, nisi regulariter vel in Capitulo, vel Refectorio.

Bachalarei Theologi nihil habeant subsidij à suis Conuentibus; sed vacent prædicationibus tempore Quadragesimæ, quò sibi ipsis prouidere possint.

Confessores sanctimonialium electi, dum opus fuerit, cōfiteantur in Ecclesia, & in Monasterio: & cū fuerunt iā experti R. patres Herrera, & Serranus: illi infirmas in Monasterio audient à confessionibus.

Ordinauerunt Nouitiatus haberi in Conuentibus Tolleti, Abulæ, & sancti Pauli, qui sint seminaria virtutum, cū suis magistris, qui Nouitios moribus, cantu, & ceremonijs Ordinis instruant.

Conuentus Metimnensis exponet singulis annis pro conficiendis fabricis iam inceptis, pecuniarum summam saltem ad medietatem reddituum dicti Conuentus, seu Collegij.

Omnes Conuentus habeant libros rationum, Clauarios; fiant computa singulis hebdomadibus (vt dictum est) Non remaneant libri reddituum in camera Prioris: ipse non scribat, neq; recipiat, viuat cibo communi Refectorij. Et in scribendis libris, scribantur omnia distinctè, & causæ omnium expofitorum, ne quid fraudis committatur. Si secus factum fuerit, Prior statim cadat iure & officio suo.

Seculares (nisi fuerint viri illustres) nunquam comedent in cōmuni Refectorio cum Fratribus. At magis seruetur clausura, pax, & honestas, nullusq; Prior audeat recipere Fratres fugientes ab obedientia R. Prouincialis.

Reuerendis. magister Generalis reuocat, & reuocatas esse declarat omnes patentes ab eo, & à suis prædecessoribus vsq; in hanc horam concessas, pro capiendis ac instituendis Monasterijs in hac Prouincia Castellæ: etiã pro omnibus alijs causis manendi extra Ordinem, etiam prætextu pietatis. Et R. tã Prouincialis, quàm Priores, omnes huiusmodi patētes hæcenus concessas videntes & legentes dilanient, dilacerent; & eas habentes in carceres reponant per mensem, disciplinis eos afficiendo qualibet feria sexta: & id totū Reuerendis. patri Ordinis significant.

Nullus huius Prouincię minister exponat pecuniam quouis prætextu, quę designata fuit pro redditibus instituēdis, sub pœna priuationis officiorum, & dupli soluendi.

Nullus huius Prouincię Prior, vel Prouincialis suo iudicio, sua voluntate, sua auctoritate, possit aliquam structuram incipere, inceptam augere, & auctam perficere, sine illius artis peritorum consilio; qui periti, communi, vel ciuitatis, vel oppidi sententia sint approbati: præsentibus, audientibus, & consentientibus patribus Clauarijs, vel eorum parte saniori.

Decreuerunt omnia signa claustralitatis (sic enim loquuntur) aboleri & restingui: Idcirco mandarunt à nemine emi posse vinum pro suo victu; at magis illud exhiberi cōsuetis, de bonis



bonis communitatis Conuentuum: non ad ebrietatem, non ad satietatem, non ad inordinatum vsum, non ad immoderatum haustum, non ad gustus appetitionem auidam: sed ad sobrietatem, ad necessitatē, & (provt licuerit) ad sanitatem Religiosorum nostrorum.

Prohibuerunt itaq; varias emptiones, & vasa diuersa & peculiaria pro emendo vino. Ne proprietariorum conditio vlla in Religiosis nostris appareat: & secus facientes, sine licētia R. Prioris (quòd rarò fieri permittet) declarantur priuati ab audiendis cōfessionibus, atq; loco & voce tam actiua, quàm passiva, donec Generalissimus pater cum eis dispensauerit.

Nemo acceptet Conuentum cuiuscumq; nominis, siue fuerit domus, siue Ecclesiā, siue situs in quocumq; oppido, seu ciuitate, seu loco, sine licentia expressa Prioris Generalis. Secus facientes habeantur pro rixosis, seditiosis, pacem Religionis odiētibus, pro elatis, superbis, & cupidis alijs præesse; & ratione contumaciæ sint excōmunicati, atq; priuati loco, voce, gradu, officijs: & in carceribus detrudantur, inde non extrahēdi, donec Reuerendiss. Generalis aliter disposuerit. Verùm si aliquis Princeps, vel eques insignis, vel illustris domina locū aliquē bonæ dispositionis obtulerit alicui ex Patribus bene meritis & professis huius nostræ Prouinciæ Castellæ, poterit (cū licentia domini Ordinarij) eum acceptare nomine communitatis; deinde negotium & gestū literis significare Priori Generali.

Sub pœna incorrigibilibus debita, rebellibus, ac contumacibus, & expulsionis ab ista Prouincia, necnon priuationis o-

mnium bonorum ad vsum incertum eis concessorum non erigantur, non conficiantur, non recipiantur loca, domus, Ecclesie, situs, pro Monasterijs sanctimonialium nostri Ordinis. Neq; aliquę ex nostris sanctimonialibus extrahantur à Monasterio pro alijs Monasterijs faciendis, ordinandis, reformandis, aut aliquo modo disponendis, sine voluntate & consensu magistri Generalis.

Propter vniformitatem, pacem, concordiam, & communeritum, consuetudinem atq; modum viuendi inter omnes Prouincias Hispaniarum, & inter illas nulla sit disparitas, nullaq; diuisio, ex quibus oriuntur sectę, inuidię, æmulationes, contentiones, & huius generis similia, omnino prohibemus in itinere perferri cappas albas, & pallia alba: sed omnes trahant pallium nigrum, vsq; ad talos, vel circa porrectum & extensum ad normam Religiosorum, sub pœna amissionis capparum & palliorum, priuationis loci, vocis, gradus, dignitatis, officij, & inhabilitatis ad ea omnia, donec Capitulum generale, vel Prior Generalis cum eis misericorditer dispensauerit. Maximam etiam rationem habet Ecclesia humanę societatis, ob causas hęc superius descriptas, & alias.

Compertum est qualis sit habitus noster regularis, & Reuerendis. Soreth precipit indumenta nostra vel esse nigri, aut griseicoloris. Cappam & tunicam subtus albas fore, ad normam reformationis, abiectis omnibus superfluis, & ornamentis quibus seculares vtuntur.

Omnis adsit diligentia, vt Fratres huius nostrę Prouincię Castellę viuant regularem vitam, & sint penitus reformati, ni-

hil habentes proprium, nihil sine licentia R. vel Prouincialis, vel Prioris exponentes; ab eis obseruetur silentium, sint bonæ famæ, sint exemplares, non appareat in illis nimia licentia: sed deuotè & morigeratè incedant.

Hortamur omnes Religiosos nostros quotidie habere præ manibus aliquos libros meditationum, orationum, & de vita spirituali tractantes, necnon de peccatis abiiciendis, & eorum remedijs, vt sibi & alijs prodesse valeant.

Si quis pro cartis confraternitatis nostræ dipondium, siue marapetinum, vel quid minus acceperit, illicò sit suspensus ab officio, detrudatur in carceres ad annum, deinde perpetuò coquinæ, vel alijs minimis seruitijs sit applicatus, sit perpetuò infamis, & tanquam peripsema nostræ Religionis existimetur. Nā qui diligit scoriā, in scoria debet sepeliri, sapiētum iudicio.

### STATUTA ET CONSTITUTIONES

*pro Collegio Complutensi, per Reuerendiss. Patrem  
Ordinis fratrem Ioannem Baptistam Rubeum.*

**D**isciplinæ & sciētia coruscāt, bonis moribus adiectis: ideò nobis incumbit omnem adhibere diligentiam, vt in studijs versantes vitæ honestatem profiteantur, appareatq; inter regulares nostros regularis obseruantix conditio, & suauissimus odor.

Idcirco mandamus omnibus Collegijs huius nostræ Prouincie Castellæ, has constitutiones ab eis inuiolabiliter seruari: Nēpe omnes eleemosynas, quæ dātur ipsis Collegijs, Collegiorū esse, & Collegijs applicari atq; incorporari: siue fuerint pecuniæ, vel tuncum, vel cuiusuis rei alterius generis.

Missæ omnes quæ exhibentur celebrandæ in Ecclesijs Collegiorum, non diuidantur inter studentes, neq; inter alios Fratres: sed omnes quotquot fuerint, sint communnitatis Collegiorum. Nihil est enim quod magis reddat vitium proprietatis, quàm partitio Missarum & eleemosynarum.

Omnes studentes cuiuscumq; Collegij, nempe Salmanticensis, Metimnensis, & Complutensis, obediât inuiolabiliter suis Rectoribus. Et sciant omnes subiectos esse illis; necnō R. magistro Prouinciali huius nostræ Prouinciæ Castellæ, in omnibus quæ nostræ sacre constitutiones R. Prouincialibus tribuunt & concedunt.

R. Rectores gubernabunt, dirigent, & corripient studentes in Collegijs nostris commorantes. Si verò nō obedierint, & contradixerint correctioni regulari, scribatur R. Prouinciali, vt prouideat: & si opus fuerit, ipse R. Prouincialis se recipiat ad Collegium, sumptibus eorum qui scandalum, vel crimen perpetrauerint; & delinquentes ad normam constitutionum nostrarum puniant, pensata delicti qualitate.

Si studentes Collegiorū infames extiterint, cognita rei veritate, via iuris, vt testes sint legitimi, & testium numerus canonicus, nihil omittendo eorū quæ debent præcedere iudicis sententiam, primò puniantur, deinde expellantur à Collegio: & statim totum significetur magistro Generali Ordinis, ne aliquo prætextu ab eo qui fuit correctus, decipiatur.

Collegia nostra in hac Prouincia Castellæ appareāt in cūctis Collegia regularium & obseruantia in victu, vestitu, honestate

nestate, obediētia, ac reformatione; vt in nostra regula, & sanctis constitutionibus continetur.

Idcirco omnia quæ lasciuiam redolent, atq; secularium voluptates prohibemus: & mandamus neminē vti posse instrumentis musicalibus, vt sunt Lyra, Barbiton, Adiutum, Tibiæ; & (vt clariùs loquamur) prohibemus vihuelam, harpam, & eius generis instrumenta: sed tantum vti poterunt monocordio, atq; canere honestè motetos, & cætera artis Musicæ, cum modestia.

Qui habent hæc instrumenta prohibita, si infra octo dies reperta fuerint in Collegijs, poterunt Rectores ea vendere, & pecuniam applicare ipsis Collegijs.

Ampliùs pro reformatione inducenda, mandamus omnes comedere in communitate: & nullus seculariū comedat, aut dormiat in Collegijs, sine licentia R. Rectorum.

Mandamus R. Prouinciali, vt singulis annis visitado Prouinciam, visitet Collegia; & studētes omnes, nemine excepto, illi obediant, eum suscipiant, & reuereantur: cuius sumptibus intendēt Rectores de bonis communitatis: atq; ab illis eximimus studentes, & exemptos esse decernimus.

Omnes studentes Collegiorum soluent summam pecuniæ præfinitam, & consuetam, cum alijs quæ explere tenentur, & consueuerunt. Sed peculiariter studentes Collegij Complutensis astringimus vt singulis Dominicis intersint Missæ maiori, necnō festis Domini nostri, ac gloriosissimæ matris suæ, & cantent Missam sine vlllo prouentu Imò (vt dictum est)

omnes pecuniæ, omne triticum, & omne genus eleemosynarum, communitati applicetur pro domo soluenda; ne diutius Religiosi nostri habitent domum locatitiam.

In dicto Collegio Complutensi nemo studentum poterit habere, seu retinere (quocumq; prætextu) pueros sine licentia & consensu R. Rectoris. Sine cuius licentia in scriptis obtenta, nulla causa poterunt proficisci Madritium. Et cum eã obtinuerint licentiam, recto itinere se recipient ad R. Magistrum procuratorem nostrum in Curia persistentem. Ad cuius nutum, voluntatem, & consensum manebunt Madritij, & in eo tractabunt. Et secus facientes, ipse R. Procurator capiet, & capere faciet, atq; detrudet in carceres, eos puniens, vt præcipiunt nostræ constitutiones contra inobedientes & Apostatas.

Cum aduenerint studentes Complutum, R. Rector poterit recipere eos, quos ipse cognouerit aptos, & iudicauerit fore expediens. & hoc concedimus, vt citius & facilius domum Collegij emptã liberè tradere possit vsibus nostræ sacræ Religionis.

Reuerendo Rectori Complutensi damus facultatem, vt possit duos induere habitum nostrum pro quæstibus agendis in suffragiũ illius Collegij, qui sint legitimi, & bonæ progeniei, neq; aliqua ex parte infames.

In Collegijs vbi non sunt Regentes, qui sunt principaliores & doctiores, quotidie cogent & congregabunt studentes hora oppor-

ra opportuna post prandium, vel cœnam, vt disputent, conferant, & literarias habeant concertationes citra omnem iniuriam. Et ipsi præstantiores studētes, vicissim, vel per hebdomadas, vel per mensem disputationibus præsidebunt. Et alij inferiores vicissim conclusiones defendent. Et dum opera Ioannis Bacchoni tam summi Philosophi, perspicacissimi Theologi, Canonistæ excellentissimi, ad eorum studentium manus peruenerint, eius profiteantur doctrinam: ne Ordo Carmeliticus (qui in rebus corporarijs inter Mendicantes reponitur) videatur aliorum mendicare doctrinam. In ea enim sibi est satis, & eam alijs potest suppeditare.

In Collegijs nostris sanctum seruetur silentium hora congruenti. Nam tempore æstatis, hora media post signum Orationis Angelicæ, pulsabitur pro silentio. Et tempore hyemis à Cœna vnus horæ cum dimidia spatio transacto. Quo signo peracto & pulsato, omnes Studentes, imò cæteri Fratres in Collegijs persistentes, imò omnes Fratres in omnibus Conuentibus huius nostræ Prouinciæ Castellæ degentes, cum silentio se recipient ad cellas suas; illudq; seruabunt vsq; ad horam primam diei sequentis. Si verò contigerit, ante primam oportere Studentes recedere à Collegijs pro audiendis lectionibus, acceptis cappis albis, exhibunt à Collegijs ad operam suam liberalem exoluendam.

Hæc pecu-

Hæc peculiaria instituta non solum obseruabunt & humiliter suscipiēt omnes studentes, sed & reliqua in Comitijis huius nostræ Prouinciæ Castellæ decreta, citra tamen dispendiū suarum lectionum & studiorum. Monentes eos, vt semper tractent quæ sibi licent & expediunt, Religionis nostræ honore perspecto. Neq; obliuiscantur diuinum recitare Officiū citra omnem negligentiam. Cauebunt etiam, sub pœna carceris, ab omni ludorum genere prohibito; non iurent, deierare desinent, abstineant se à verbis contumeliosis, inhonestis, & indecentibus; sint compositi, atq; habitui sacratissimæ Marię virginis de monte Carmelo, eorum mores correspondeat.

Cùm intellexerimus studentes nostri Collegij Complutēsis, eiusdem Collegij nimia paupertate compelli inferuire aliorum Ecclesijs, & numeri Sacramentorum sancto intendere; illud officium de consensu Reuerendiss. Ordinarij exercere posse concedimus; hoc tamen adiecto, vt ultra ad tres menses cum dimidio extra Collegium pro dictis obsequijs morari non possint. Quos omnes monemus, vt bonarum Artiū & sacre Theologiæ studijs vacent, & intendant.

Studentes Complutenses cùm iuerint ad scholas suas, audituri lectiones, cappis albis induti, modestè ac religiosè associati, ad eas se recipiēt: & præuaricatores huius decreti pro prima vice vnam in Refectorio recipient disciplinam cum Psalmo: Miserere mei Deus. Altera priuabuntur ne possint exire à collegio, siue cōuentu per mensem. Tertio idem crimē occurrerit, detineantur in compedibus ad quindecim dies, solo pane



lo pane & potu communi contenti. Vltima die Veneris illorum quindecim dierum ieiunabunt in pane & aqua, vna disciplina afficiantur cum Psal. Dominus regit me. Si verò pertinaci spiritu irretiti, rursus hoc præceptum transgredi ausi fuerint, Reuerendus Rector, vel Prouincialis dabit eis literas patentes, vt in suam Prouinciam proficiscantur, in nostrum Collegium Complutense amplius non reuersuri. Sacra namq; Religio nostra literatos quærit & optat, sed obedientes, & benemoratos.

Animaduertendum est, quòd in constitutionibus vbi non apposita est poena, semper licet punire illis aduersantes, poena inobedientibus debita. Habenda est etiam ratio quantitatis & qualitatis excessus, seu criminis; ne delinquentes impunitate gaudeant. Et Rector Collegij puniendus erit, si has institutiones nostras executioni non demandauerit.

### DE ACTIS COMITIORUM.

*Acta Comitiorum generalium Romæ celebratorum, inuiolabiliter obseruari mandamus.*

Quoniam leges & statuta condere parum conduceret, & modicæ utilitatis esset, nisi finem optatum consequeretur. Idcirco ne istæ institutiones floccipendantur, posthabeantur, sine careant debito; mandamus eas inuiolabiliter obseruari.

Si verò R. Prouincialis, & R. Priores id facere neglexerint, & negligentes reperti, nouerint se suis officijs esse indignos: & quamprimum id sciuerit Reuerendis. magister Generalis, statim fore priuandos. **F**reuera ipsos priuabit tâquam ineptos

ad huiusmodi officia obeunda: & vbi in præsentibus statutis non explicatur poena, Prælati huius Prouinciæ eam adhibebunt iuxta qualitatem excessus & criminis, non excedentes paternam & regularem correctionem, sicut docent antiqua Ordinis nostri instituta, duobus, aut tribus Patribus consultis.

Amplius prædictus magister Generalis, si audiet posthabita fuisse hæc instituta, vel si aliqua causa emerferit suo iudicio rationabilis, vltimo anno triennij cuiusuis Prouincialis, constituet duos ex patribus huius Prouinciæ, qui habeant visitare illius omnes Conuentus, sine vllis expensis & sumptibus, (exceptis necessarijs ad iter peragendum) quia dum erunt in Monasterijs, comedent in communi Refectorio ex communi portione vniuersæ communitatis.

Postquam redierint Fratres nostri ad suos Conuentus, celebrabunt singuli tres Missas pro viujs: quarum prior erit de Spiritu sancto pro summo Pontifice, pro Prælatis, pro pace, pro depellendis hæresibus, & pro multiplicanda fide sanctæ matris Ecclesiæ. Altera erit de beatissima virgine Dei matre, pro Catholicis Rege, Regina, & omni prole regia, pro regnis item ac ministris eius Maiestatis Catholicæ. Tertia de Angelis, pro Fratribus & sanctimonialibus, pro cõfratribus & cõsororibus nostri Ordinis; item pro benefactoribus, patronis, seu literatis, qui Carmeliticæ fauent Reipublicæ. Tres item Missas celebrabunt pro defunctis; primã pro summjs Pontificibus, & alijs quibus supra; alteram, pro Regibus, Reginis, & similibus; tertiam, pro Fratribus & sanctimonialibus.

Omnes

Omnes huius Prouinciæ & Prælati & patres recordabuntur, non suæ facultatis neq; autoritatis esse dimittere Conuentus, & loca etiam exigua & minima sine expressa licētia Prioris Generalis: & secus facientes pœnis grauisimis afficientur à Generali, vel à Comitij generalibus.

Quàm citiùs fieri poterit, imprimantur hæ constitutiones sumptibus Prouinciæ. Et cuilibet Monasterio distribuatur, vt saltem in quolibet eorū sint ex dictis cōstitutionibus quatuor libri.

Rogamus, hortamur, & obsecramus omnes huius Prouinciæ Castellæ filios, atq; aliarum Prouinciæ, vt velint inspicere dñm Deum nostrū. Cui placuit nos illis præesse, discāt omnes Dei ductu, propensa voluntate, virtutis amore, sincera charitate, religioso zelo benefacere, rectos obābulare calles, & dum vitam viuunt, cumulum bonorum operum sibi cōgerere, & in aliorum exemplum, bonis vacare moribus. Nihil enim dulcius, nihil suauius, nihil amabilius, quàm multis prodesse, & Deum cunctis præferre caducis & mortalibus. Nam pœnam suorum criminum luent omnes mali. Boni vero suorum laborum mercedem accipient immarcescibilem.

**F I N I S.**

*K ij*

# De receptione Magistri Genera- LIS ORDINIS.

MODVS RECIPIENDI MAGISTRVM GENE-  
ralem Ordinis, hîc describitur: ne Fratres Carmelitæ sint ignari  
eorum, quæ illis incumbunt. Et primò,

**F**Ratres omnes cum cappis albis (precedente vexillo crucis) bi-  
ni & bini incedentes processionis more, exeant ianuam Eccle-  
siae nostrae. Sint cū eis Prior, vel alius pater aetate grauis, Diaco-  
nus item Subdiaconus, & Thuriferarius in suppellicis cū thu-  
ribulo, reliqui omnes indui sericis. Pater verò qui agit officium  
manu sua teneat crucem, vel pacem, vel Missale apertum in ea  
parte quæ incipit: Te igitur clementissime pater. Et porriget  
crucem, vel imaginem Crucifixi osculandam Generalissimo Pa-  
tri Ordinis. Qui flexis genibus, adorabit Crucem, dicens: Ado-  
ramus te Christe, & benedicimus tibi; quia per sanctam crucem  
tuam redemisti mundum. Postea subiunget iunctis manibus: Ade-  
sto nobis dñe Deus noster; & quos sancta Crucis letari facis ho-  
nore, eius quoque perpetuis defende subsidys. Qui viuis & re. &c.  
Qua expleta, incipiet qui agit officiū, canere: Te Deū lauda-  
mus. Thuriferarius tunc thure suffumigabit Reuerēdiſſ. Gene-  
ralem. Crux redibit in Ecclesiam, & Fratres sequentur (vt su-  
pra) crucem sequentes, & cantantes: Te Deum laudamus. Cū  
pater Ordinis erit ad ianuam Ecclesiae, in eius manibus ponēt  
aspersorium, qui statim asperget & diffundet aquam super omnes  
qui erunt in illius comitatu. Cū ipse Pater Reuerēdiſſ. perue-  
nerit ad locum preparatum, flectet genua tunc (organo cessan-  
te) Fra-

te) Fratres incipient canere. Respon. finito, dicet minister: Dñe saluū fac seruū tuū. Resp. Deus meus sperantē in te. Ver. Nihil proficiat inimicus in eo. Resp. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. Vers. Pro Priore nostro Generali. Res. Dñs conseruet, & viuifcet eum in pace. Ver. Dñe exaudi orationē. Re. Et clamor. &c. Dñs vobiscū. Res. Et cū spiritu tuo. Oremus. Omnipotēs sempiternē Deus, qui facis mirabilia magna solus, prætende super famulū tuū Priorē nostrū Generalē, & super cunctas cōgregationes, tã virorū, quàm mulierū illi cōmissas, spiritum gratiæ salutaris, & vt in veritate tibi complaceat, perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde. Per Christum dominum nostrū. Resp. Amen. Tunc ponēt stolam ad collum R. Prioris Generalis, qui adibit Altare, flectendo genua, & deosculandum: & accepto thuribulo more solito, diriget incensum in conspectū Altaris. Postea cantando dicet Vers. Ostende nobis Dñe misericordiam tuam. Resp. Et salutare. &c. Vers. Saluos fac seruos tuos, & ancillas tuas. Resp. Deus meus sperantes in te. Vers. Ora pro nobis sancta Dei genitrix. Resp. Ut digni. &c. Vers. Domine exaudi. &c. Resp. Et clamor. &c. Vers. Dñs vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Oremus. Protege Dñe famulos tuos subsidijs pacis. &c. Prætende Dñe famulis & famulabus tuis dexterã celestis auxiliij, vt qui te toto corde perquirūt, & quæ dignè postulant, assequantur. Deus qui corda fidelium. &c. Per Dñm nostrū Iesum Christum filium tuum, qui tecū viuunt & regnat in vnitāte eiusdem Spiritus sancti Deus, Per omnia secula seculorum. Resp. Amen.

His dictis, statim subiciat Vers. Sit nomen Domini benedi-  
ctum. Resp. Ex hoc nunc. &c. Vers. Ad iutorium nostrum. &c.  
Resp. Qui fecit caelum & terram, Postea dicat: Oremus. Bene-  
dictio Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus sancti de-  
scendat super vos, & maneat semper. Resp. Amen. Haec dicens  
Pater Ordinis, tres cruces faciat super populum, illi benedicē-  
do. Qua oratione expleta, pressa & firma voce dicet pro defun-  
ctis Fratribus, sanctimonialibus, & benefactoribus Ordinis  
nostri. De profundis clamaui. &c. totum cum Fratribus, cū Pa-  
ter noster. Vers. A porta inferi. &c. Erue domine. &c. Vers.  
Credo videre. &c. Res. In terra. &c. Vers. Dñe exaudi. Resp.  
Et clamor. &c. Dominus vobiscum. &c. Oremus. Inclina domi-  
ne. &c. Deus venia largitor. &c. Fidelium. &c. Requiescant in  
pace. Amen.

Si libuerit ei, Latine gratias ager illis, qui eum comitati fue-  
runt. Postremo sedenti omnes Religiosi Conuentus (incipiendo à  
Priore) signum exhibebunt obedientiae Priori Generali, illius  
manus reuerenter exosculantes.

✠ Soli Deo honor & gloria. ✠

# Ad Carmelitanā Castellæ Pro-

VINCIAM FRATRIS NICOLAI ROTARII  
BISVNTINI A SECRETIS VNIVERSI ORDINIS

✿ C A R M E N . ✿

**N**clyta Castellæ Prouinciæ, clara propago  
Carmeli montis, Religiosa Patrum  
Turba antiquorum, Matris summiq; Tonantis  
Progenies; castis anteferenda viris.

Hæc tibi, quæ modica sunt exarata papyro,

Dogmata, nunc leta suscipe fronte, precor.

Haud noua sunt, veterum redolent vestigia Patrum,

Et normam sacri deniq; Concilij.

Nihil hîc (crede) tuis offendes viribus impar,

Omnia sunt facili namq; redacta iugo.

FRATER IOANNES Rubeus BAPTISTA Rauennas,

Heliastarum Præsul, & omne decus,

Hîc veteres seruare vias, priscos quoq; mores

Monstrat, queis noster floruit Ordo prius.

His diui sanctiq; Patres vixere beatis

Legibus, æternas his adiere domos.

Quòd si eadem requies tua tangat pectora, restat

Illorum gressus hac breuitate sequi.

✿ F I N I S . ✿

Ad Carmelitanam Castellam Pro

VINCIAM FRATRI NICOLAI ROTARI  
BISVINTI A SECRETIS UNIVERSI ORDINIS

1523

Nichita Castellae Provinciae clara propago  
 Carmeli montis Religiosa Patrum  
 Tempore antiquissimo Mater summi; Tomantia  
 Progenies castri ante secula viri.  
 Hec tibi que modica sunt exarata papae  
 Deo maxime laeta suscipe frons pector.  
 Hanc nona sunt veterum velolent vestigia Patrum  
 Enormis sacri denique Concilij.  
 Nihil hic (crede) tuis offensus viribus impar  
 Omnia sunt facili namq; redacta in eo.  
 FRATER IOANNES RUBEUM BAPTISTA RAVENNENSIS  
 Helicistiam Praesul. V. omnia decus  
 Hic tibi forte dicitur dicitur quod; mores  
 Hanc tibi sanctis Patres dixerunt  
 Legibus, cuncta hic adire honores.  
 Quod si eadem redies tunc tangat pectora vestra  
 Illorum gressu hac brevitate sedui.

FINIS